ACCADEMIA DI MEDICINA * DI TORINO

CAROLI DE MERTENS
MEDICINAE DOCTORIS
OBSERVATIONES
MEDICAE.

TOM. II.

TICINI MDCCXCI.

Sumptibus (Typographiae Monasterii S. Salvatoris et
(Balthassaris Comini Bibliopolae.
Rei literariae Censorib. permittentibus.

C V II

PRAEFATIO.

Ante quinque annos observationes typis mandavi, (a) *minime tunc cogitans de novis in posterum edendis: at cum deinde parva otii intervalla, quae mihi quandoque praxis reliquit, tam delineandis morborum historiis ad aegrorum lectos collectis, quam relegendis illis impenderem, quas ante plures annos ad proprium usum char-*

(*a*) Observationes medicae de febribus putridis, de peste, nonnullisque aliis morbis. Vindobonae apud Rudolphum Graeffer 1778.

chartae commiſeram, notatu digniores ſub titulo tomi ſecundi publici iuris facere decrevi.

Sydenhamum, omnium recentium medicorum, me iudice, principem, inter antiquos ipſi Hippocrati comparandum, mihi exemplar ſemper propoſui, qui morbos epidemicos attente obſervavit, accurate deſcripſit, praeiudicia debellavit, vana ratiocinia ſcholis theoreticis relinquens. Magni illius viri veſtigiis, quamquam procul, inſiſtere niſus ſum, huius unice mihi conſcius, me verum et utile humano generi pro viribus ſecutum eſſe.

Ut ſeries morborum epidemicorum quos tam Viennae, quam Moſcuae, a viginti, et ultra, annis obſervavi, in uno opere habeatur, hiſtorias febris catarrhalis anni 1762. et dyſenteriae anni 1763. quas iam anno 1766. in lucem edidi, aliis adnectam, principium huius tomi ab his ipſis faciens. Catarrhalem hanc epidemiam cum illa anni 1782. (part. I. cap. IV.) conferre ſic facile erit, atque determinare in quo ſibi ſimiles

fue-

fuerint , et quomodo inter ſe diſcrepaverint . Hiſtoriae dyſenteriae plura adieci , quae ab illo tempore didici , atque propria experientia confirmata , utiliaque vidi .

Prima huius tomi pars continet quoque morbum ſtationarium ab anno 1774. ad hunc uſque (1783.) dominium Viennae obtinentem . Hac occaſione non ſolum tutiorem feliciorem-que hunc morbum tractandi modum tradam , ſed generalem etiam febres inflammatorias curandi methodum delineabo . Quarto et quinto primae partis capitibus morbi epidemici intercurrentes comprehenduntur , qui aliquam attentionem quoque mereri videntur . Secunda pars offert variolarum , et inoculationis hiſtoriam , optimamque rationem variolas naturales curandi , ex modo , quo inſititiae tractantur , depromptam .

A viginti quatuor annis , quibus optimam tutiſſimamque luem veneream curandi methodum poſſideo , ſaepiſſime decreveram in generis humani com-

modum ipsam omnibus notam facere; sed quantum caeteris iam notis remediis praecellat, variis multiplicibusque observationibus confirmatum prius habere volebam. Nunc vero, cum nullum mihi dubium de illius praestantibus virtutibus amplius remaneat, me laesae humanitatis criminis reum crederem, si non omnes optimae huius methodi participes facerem, quam iam ab aliquot annis non potui, quin cum amicis et aliis, data occasione, communicarem.

*Quod ad caput de scorbuto adtinet, est mera translatio latina scripti, quod ante aliquot annos ad Societatem Regiam Londinensem misi, ipsaque tomo LXVIII. part. II. actorum suorum anglice editorum (*Philosophical Transactions*) inseruit. Brassica fermentata in longis navigationibus nunc adhibita, ad nautas, dum illa nutriuntur, a scorbuto praeservandos, spem non fefellit quam fovebam, dum eam anno 1766. Comiti Stormont Legato Anglico ad Au-*

lam

lam Imperialem Regiam, aliisque viris doctis Anglis, in officio publico apud ipsum constitutis, ad tentamina ad hunc scopum facienda proponebam. Gaudeo, dum peregrinatorum relationes lego, me providentiam divinam usam esse ad patefaciendum novum beneficium, quod nostro praesertim, et absque dubio, futuris saeculis, quibus commercium inter diſſitiſſimas gentes continuo augebitur, generi humano quam maxime utile atque necessarium erit.

Sine brassica fermentat celebris ac strenuus Cook navigationes suas ad tantam usque latitudinem meridionalem, inter enormes glaciei montes fluctuantes, continuis tribus annis perducere non potuisset, quin saltem maximam nautarum suorum et claſſiariorum partem amisisset; aut ob deficientes ad dirigendam navem inter tot pericula manus, susceptum herculeum laborem imperfectum relinquere debuisset. Vix credere possemus, in hac trium annorum adeo laboriosa navigatione, vigi-

lantem ac fortiſſimum praefectum Cook in nave sua inter 118. homines quatuor tantum amisisse, unum phthisi pulmonali consumtum, alterum casu enectum, duosque submersos, adeoque unicum morbo mortuum, si illud confirmatum non legeremus in relatione peregrinationis annorum 1773. 74. 75. et in oratione ab Illustr. Pringle coram Societate Regia Londinensi habita, ubi demonſtratur braſſicae fermentatae hoc magna ex parte adscribi debere (a). Alia ad eundem finem tentanda, experientia ductus, hic propono. Morbis iſtis chronicis, lui nempe venereae et scorbuto, omnium frequentissimis, tertiam partem dicavi. Quartam observationes quaedam, quae mihi in privatis hominibus occurrebant, et notatu dignae videbantur, replent, secundumque hunc tomum absolvunt.

PARS

(*a*) A discourse upon some late improvements of the means for preserving the health of mariners. Delivered at the Royal Society November 30. 1776. by John Pringle Baronet President. Et: A copy of Capitain Cook's paper referred to in the foregoing discourse.



PARS I.

CAPUT I.

Febris Catarrhalis Epidemica Anno 1762. Viennae obſervata.

Ineunte anno 1762. tempeſtas admodum frigida et ſicca fuit ſpatio duorum menſium, mercurio in barometro altam ſtationem tenente; Martio humida et procelloſa, delabente mercurio; Aprili vero, dum mercurius altum

tum repetebat gradum, sudum et pro anni tempeſtate calidiſſimum tempus, sine ventis, qui hic alias frequenter ſlare solent.

Martio exeunte, tussis epidemica, febre saepius ſtipata, quandoque sola, ita grassari incepit, ut inter centum homines vix decem ab ea liberi manserint, infantes, iuvenes, omniumque aetatum homines indiscriminatim occupante. Eodem tempore audiebamus similem morbum per totam Italiam, Venetiis praecipue, magnam ſtragem edere; totam quoque Germaniam peragravit, nec Hungaris pepercit.

Incipiebat morbus dolore capitis intenso, totius corporis lassitudine, agrypnia, faucium asperitate, anorexia, frigore et calore se invicem excipientibus; nec non tussi sicca, quam febris non valde intensa, nisi in plethoricis, comitabatur; quae, etsi nonnunquam continua, ut plurimum tamen intermittentis quotidianae typum sequebatur. Siccam dico in hoc morbi ſtatu fuisse tussim, cum tantum mucus aspe-

rae

rae arteriae et bronchiorum abrasus, sero acri permixtus, parva quidem quantitate tunc exspueretur. Urinae in principio rubrae, in augmento materiam furfuraceam vel lateritiam ad fundum vasis deponebant. Linguam muco albo vel griseo obsitam fere semper observavi. Gravis cephalalgia, agrypnia vel somnus saepe interruptus, horror ab omni cibo, sitisque urgens, omnes aegrotos plus minusve excruciarunt.

Aegri, qui se lecto ſtatim commiserunt, et decocto emolliente pectorali calide largiter assumpto, leviter et quasi sponte sudabant, praemissa in plethoricis venae sectione, tertia ut plurimum morbi die ab eo liberi evaserunt. Alii vero natura debiliores, vel nimiis venae sectionibus debilitati, morbumve negligentes, ipso diutius vehementiusque occupabantur: tussi enim sicca, mane et vesperi praecipue urgente, cum febre lenta per plures hebdomades laborabant, de dolore ad mediam ſterni partem et inter scapulas, quasi lacerante tussiendo conquerentes.

Non-

Nonnullis serum acre palatum et fauces erodebat adeo, ut vox prae raucitate vix audiri posset; vel totam membranam Schneiderianam occupans acerrimus hic humor, moleſtam quoque coryzam excitabat. Sputa vero cocta, facile prodeuntia, morbum solvebant; sudore et alvo ipsum quoque solutum observavi. Aſthmaticis et senibus exitiosus fuit: tandem medio Maio sensim sensimque nobis valedixit. Methodus curationis mox enarranda, cum optimo successu adhibita fuit.

In plethoricis vena in brachio ſtatim secabatur, decoctaque emollientia et pectoralia larga quantitate propinabantur, in lecto vel cubiculo aegrotos continendo, quo facilius leniter, sed sponte sudare possent; horum sanguis naturalem, sanumque, vel illo paulo spissiorem, referebat; illos vero, quibus pulsus frequens debilisque observabatur, venae sectio, si forte inſtituebatur, pessumdabat, et sanguis tunc missus crassamentum laxioris consiſtentiae offerebat. Sequenti die alvus mo-

vebatur medicamento laxante, vesperique syrupus diacodii in decocto hordei propinabatur. Quando, his adhibitis, tertia vel quarta die morbus non remisit, emplastrum vesicatorium inter scapulas appositum; et praeter decoctum hordei cum syrupo althaeae, et oxymelle, vel aliud ex speciebus pectoralibus, ecclegma ex oleo amygdalarum et syrupo diacodii compositum, optimos effectus praeſtitere. In his pergebant, donec morbus fere omnino fugatus esset, alvum per vices laxantibus movendo: plures absque febre solo catarrho laboraverunt, quibus eadem methodus profuit.

Notandum interim venit, quod maximam opem aegrotis tulerint vesicantia, vel sapo ex oleo et spiritu salis ammoniaci confectus, inter scapulas apposita, quae serum acre a pectore revocabant, et ex corpore eliminabant. Unde saepissime in usum vocata sunt apud illos, qui morbo diutius vexabantur.

Plures recidivas passi sunt. Meis aegrotis, morbo fugato, et pectore libe-

ro, corticem peruvianum cum rheo per septimanam sumendum praescripsi, quibus medicamentis roborantibus, et alvum laxam tenentibus, plerique optimae sanitati reſtituti sunt, praeterquam quod cortex virtute sua febrifuga ad praecavendas novas tentationes morbi quoque conduceret, quem ad febres intermittentes, remittentesve maxima ex parte pertinere nemo negabit.

Plethorici nonnulli, neglecta venae sectione, et alii acriori catarrho laborantes, haemoptoe corripiebantur, tandemque phthisici moriebantur.

CAPUT II.

Dysenteria Anno 1763. *Viennae grassans.*

Incipiebat annus 1763. tempeſtate admodum miti, sed humida, praegresso frigore versus finem Decembris per aliquot

quot dies intenſiſſimo (*a*); continuabat sic per Januarium, mediumque Februarium. Succeſſit aëris calor notabilis, ad 12. Martii uſque continuo increſcens, qui, cum iam plantae gemmas protruderent, ſuosque flores, alias veris conſtantis nuncios, maturius explicarent, campique vireſcerent, homines feſellit, multosque induxit, ut levioribus ſe induerent veſtibus. Martii 13. ſubitum et ingens frigus irruit, quod plantas, rigidiſſimae alioquin hiemis patientes, aduſſit. Continuavit ſic ad ultimos menſis dies; remiſit poſthac, et ad finem Maii uſque, coelo nebuloſo perſtante, dies tranſegimus, quos Aquilo, Caurusque triſtiores effecerunt. Hos trium ſeptimanarum ſpatio adeo aeſtuans Junius excepit, ut in thermometro Reaumuriano liquor ad gradus XXV. Fahrenheitiano ad LXXXVIII½ in umbra aſcenderet, vento interim Auſtrum inter et Favonium variante. Ine-

(a) Mercurius in thermometro Fahrenh. deſcendit ad 0: in Reaumur. ad 14. infra 0.

Ineunte Iulio iterum dies imbribus, et frigore adversi succedebant; brevi aestus priori adhuc maior rediit, quem thermometrum Reaumurianum gradu XXVII. Fahrenheit. XCI. metiebantur, tumque Libs permansit.

Alvi fluxus, ut plurimum dysentericus, quamvis aetatem ac temperiem absque discrimine invadens, ita grassari tunc incepit, ut causa proegumena specialis, quae hos illosve ad morbum suscipiendum aptiores redderet nulla se manifeſtaret.

Corripiebat homines ventris fluor illico frequens; trigesies et ultra ad deponendam alvum cogens nychthemeri spatio, cum horrore et frigore; his mox calor ingens, sitis et febris accedebant; brevi poſt anorexia, oris amaritudo, lingua alba, aliquando et singultus, iungebantur.

Febris in quibusdam intermittens quotidiana, singulis vesperis paroxysmum repetens, in aliis continua remittens hemitritaea, cum pulsu ubique fere parvo, debili, ac sitis, caloris-

que

que ad noctem incremento, obser-vabatur.

Transactis sic aliquot diebus, superveniens tenesmus validus, cum faecibus sanguinolentis, morbum vehementer exacerbabat. Deiectionum frequentia iam a morbi initio, et dein dolor, primum circa umbilicum saeviens, tum momento poſt in ano perceptus, diu noctuque somnum arcebant.

Paucos pro vehementia sua malum hoc epidemicum trucidavit. Per febrem putridam, gangraenam, marasmumque, vel hydropem, tympanitidemve, nonnulli fata sua terminabant. Multi recidivam passi sunt.

Si in causas dysenteriae huius epidemicae inquiramus, facile patebit, ver maturius calidum, et amoenum, caloremque aeſtivum intensum, solida corporis laxa, humores expansos, et facile perspirabiles fecisse; salia et olea corporis acriora reddidisse, quae, durante aeſtu, per transpirationem auctam avolabant; sed per irruentem im-

broſam frigidamque tempeſtatem, perſpirationem liberam impedientem, illa in corpore incluſa fuiſſe. Humores expanſi, rarefacti, acrimoniam contrahentes, cute obſtructa, ad primas vias depelluntur; ibi dolores, tormina, febres, excrementa putrida acerrima, exulcerationes, eroſiones, generant; tandemque abſorpti, totam ſanguinis maſſam inquinantes, putredinem univerſam inducunt. Chylopoeſis turbata, ſupra dictis cauſis iuncta, hydropem facile excitat. Affluxu humorum acrium debilitata inteſtina, flatibus ex mala digeſtione ortis, ſupra modum extenduntur, tympanitidemque creant.

Cura.

Pauciſſimi ſanguinis miſſione indigebant. Venaeſectionem inſtituendam eſſe, nec ne, indicabant vires, pulſus, febriſque (*a*). Vomitorium ex ipecacua-

(*a*) Praeterea explorandum eſt in dyſenteria, an abdomen ad levem tactum dolens ſit; quod ſublatentis inflammationis indicium eſt, et venaeſectionem requirit. Hoc praeſertim aci-

cuanha aliquoties repetitum, et rheum (*a*) in subſtantia bis terve datum, primam curationis partem, quinque vel sex dierum spatio, absolverunt. Evacuatis sic a materia turgente primis

---

cidit in dysenteria rheumatica, a sola nempe materia perspirationis ad intestina per subitum frigus cuti admotum, retropulsa. Vidi quoque dysenterias rheumatico-putridas, mixtas nempe, in quibus ab initio inflammatorium, dein vero putridum, dominabatur: non una tunc methodus curativa conveniebat; sed primum venaesectiones, antiphlogistica, demulcentia, in secundoque statu evacuantia, et antiseptica postulabantur. In dysenteria biliosa vel putrida radicem colombo a gran. X. ad XV. aliquoties de die dare solent Angli, et optimos effectus non raro illam praestare vidi. Alvum nec reserat, nec obturat; sed bilis putredinem et acrimoniam ipsam corrigere experimenta docent.

(*a*) Optimum medicamentum alvum ducens in dysenteria:

℞. Ol. amygdal. dulc. recent unc. sem.
vitell. ovi recent. nro. j.
mannae elect. unc. j.

Misce subactis, assidue terendo, sensim affunde, sal. cathart. amari, in aquae communis unc. jj. sem. soluti, unc. sem. Syrup. althaeae drach. vj.

Misce pro haustu.

viis, ad obvolventia (*a*), lenientia, opiata, et roborantia deveniendum erat. Corticem peruvianum roborantibus adiiciebam, tum ob vim eius antisepticam, cum ut febrem intermittentem, vel continuam tunc remittentem factam, ceu morbum primarium, fugare possem. Cum leniendi, obvolvendi, et dolores sedandi scopo optimum tunc expertus sim medicamentum, quod mecum communicabat Doct. Huck (nunc cognomine Saunders), medicus Anglus, vir scientia et experientia clarus, tunc temporis Viennae degens, hoc describere lubet. (*b*)

℞. cerae flavae rasae dr. j. sem.
Sapon. Hispan. (vel Venet.)
duri, rasi scr. j.

Aq.

(*a*) Decoctum rad. salep, vel decoctum oryzae, pro potu ordinario maxime conveniunt.

(*b*) Id ipsum ab eodem Clar. Huck sibi communicatum Ill. Pringle in IV. edit. libri sui *observations on the diseases of the army* pag. 283. refert, quod frequenti in America usu meus Pringliique amicus egregium in hoc morbo invenerat. Nullo modo cera aquae misceri poterat antequam haec formula nota fuerit.

Aq. ſont. dr. j.
liquescant leni igne, assidue agitando, donec in unum coeant, dein effundatur liquor in mortarium lapideum, sensim admiscendo

Aq. ſont.
-- menth. (vel cinnamom. simpl.)
ana unc. iij.
Syrup. diacod. unc. j. sem. (*a*)

Omni semihora, vel poſt singulas alvi deiectiones, sumebant cochleare unum huius mixturae, interpositis roborantibus, rheoque subinde dato.

His excrementa copiosiora, deiectionesque minus frequentes fiebant, tenesmus et tormina sedabantur, somnusque alliciebatur. Sic ad morbi finem usque pergebam. Morbo fugato, alvus fluens sine torminibus remanebat, sic, ut aliquoties de die absque moleſtia

(*a*) Quando aegri torminibus et tenesmo frequentissime torquentur, huic mixturae guttas X. vel XV. laudani liquidi Sydenhami adiicere soleo, vel paregoricum ad noctem dare ex eadem quantitate laudani liquidi, in aquae florum papaveris rhoeados unciis tribus, una, vel partitis dosibus, sumendum.

solveretur; quae quidem inteſtinorum laxitas ulteriori roborantium usui cedebat *(a)*. Iuscula, cremores, et decocta hordei, ac oryzae, praecipuam diaetae partem conſtituebant.

CAPUT III.

Conſtitutio Epidemica Annorum 1774-1783

Ab anno 1784. quo e Ruſſia Viennam redux sum, febrem rheumaticam inflammatoriam, ut morbum ſtationarium, singulis annis hieme dominium obtinere, reliquosque morbos intercurrentes tunc ad suam naturam trahere, et pro qualitatibus atmosphaerae sensibilibus plus minusve popularem esse, observavi. Ae-

(a) ℞. Cort. peruvian. unc. j.
pulv. rad. rhei
bol. armen.
elect. diascord. ana dr. j.
syrup. myrtill. q. s.
Misce. f. electuarium: capiat ter vel quater de die cochleare parvum.

Aeſtate et autumno silet, hieme recurrens ad Maium usque permanet.

Sedes inflammationis in hac febre varia, varios, iuxta partes praecipue affectas, creat morbos. Si pulmones inflammatio aggreditur, peripneumonia; ſi pleuram, pleuritis; ſi intestina, enteritis &c. oriuntur.

Diversum nomen hoc vel illud viscus inflammatum morbo inurit, etsi eadem ſit febris, symptomatibus quibusdam huic illive parti affectae propriis, ſtipata: solis externis corporis partibus musculosis ligamentosisve insiſtens, febrem inflammatoriam rheumaticam proprie dictam conſtituit; quae frequenter occurrit.

Ut nulla datur corporis pars, quam hic morbus non afficiat, sic in omnibus eius speciebus generalem quoque requirit methodum curationis, antiphlogiſticam nempe, ad symptomata peculiaria urgentissima tantum parumper inclinatam.

Formae, quas haec febris inflammatoria ſtationaria, praeter modo rela-

tam febrem rheumaticam proprie dictam, magis affectat, sunt peripneumonia, pleuroperipneumonia, pleuritis vera, et spuria: adeoque pleuroperipneumoniam talem cum efficacissima medendi ratione describam; ad quam reliquarum omnium febrium inflammatoriarum, quocunque nomine veniant, curatio, paucis tantum iuxta circumſtantias et partes affectas mutatis, revocari aut reduci poteſt.

Incipit plerumque peripneumonia vel pleuroperipneumonia, causa occasionali quacunque data in non naturalibus, frigore, et horripilatione; sequitur mox calor ingens cum cephalalgia, oppressione pectoris, respirandi difficultate, et dolore punctorio in alterutro pectoris latere, si pleuritis vera vel spuria peripneumoniae jungitur. Sitis ingens eſt, lingua sicca, cutis arida, calor urens, et spiritus ore missus calidissimus. Si respirandi difficultas non magna eſt, pulsus frequens, plenus et durus reperitur: at ubi pulmones oppressi difficillime, et parum

di-

dilatantur, pulsus frequens, sed parvus et mollis minus attentum medicum facile decipit. In hoc ultimo casu poſt singulas sanguinis detractiones fortior pleniorque evadit, dum simul aeger minus anxie spirat, et temulentia ſtuporque, ab impedito prius regressu sanguinis a capite ad cor dextrum nata, sensim minuuntur.

Curatio.

Cura itaque incipienda venae sectione larga, magnaque apertura facta, eaque toties repetenda, donec febris mitior, tussis facilior cum sputis coctis plerumque ſtriatis, et respiratio praesertim liberior, denotent inflammationem iam minutam, circulationemque per pulmones liberiorem factam esse, atque spem coctionis, ac criticae evacuationis per sputa et urinas afferant.

Ante septimum diem utplurimum haec bona signa apparere debent, ut optatum talem exitum morbus habeat, et metus non sit, ne aeger suffocatione vel gangraena primis morbi diebus e vivis auferatur, vel tardius sup-

pura-

puratus phthiſi pulmonali lente conſumatur. Dico plerumque, cum nonnunquam tales criſes 9. 11. et 14. die morbi accidant.

Intervalla inter ſingulas venae ſectiones neceſſaria determinant ſymptomata; reſpiratio, pulſus, calor cutis, capitis temulentia, tuſſiendi difficultas. Venae ſectionem in brachio inſtituere in his morbis praefero, quia maior apertura in venis brachii fieri poteſt, quam in pede, et ille locus parti affectae vicinior eſt, ſanguiniſque ſtatus facilius obſervatur in cruore e brachio miſſo, quam in illo, quem ex pede detraximus. Praeterea experientia me docuiſſe videtur, aegros ſemper plus levaminis venae ſectionibus in brachio, quam in alia parte, obtinuiſſe. Si tamen imminens menſtruorum tempus, vel ipſorum aut hoemorrhoidum ſuppreſſio, iuxta communem opinionem (cui magnam fidem habere non poſſum) *(a)* ex extremitatibus inferioribus detractio-

(*a*) Suppreſſum in plethoricis menſtruorum vel

tractionem sanguinis poſtulant, non adverſor, quominus ibi inſtituatur.

Ad vehementem peripneumoniam in viris robuſtis debellandam quinque, ſex, et in valde plethoricis octo venae ſectiones aliquot dierum ſpatio inſtituere non raro neceſſarium eſt. (a)

Cum venae seetionibus nihil morbo debellando magis confert, quam larga potuum refrigerantium tepide aſſumtorum copia. Emulſiones nitroſae, (b) infuſa theaeformia ex floribus verbaſci,

---

vel haemorrhoidum fluxum, venae sectione in brachio instituta, revocari, et in ordinem redigi saepe vidi.

(a) Hic notandum venit, homines in regionibus borealibus detractiones sanguinis minus ferre, quam in meridionalibus; nec in morbis inflammatoriis tam frequentibus venae sectionibus indigere. Raro mihi in Russia occurrit morbus talis, in quo quater sanguinem detrahere necesse fuerit; dum hic et in Gallia ad eosdem affectus curandos sex et quandoque octo venae sectiones vix sufficiunt. Maximam morborum acutorum, ipsorumque qui ab initio inflammatorii fuerant, partem ibi in putridum vergere Moscuae observavi. Conf. huius operis tomi 1. part. 1. cap.

(b) ℞. amygdal. dulc. excort. unc. sem. sem.

baſci, papaveris rhoeados; decocta emollientia cum nitro, oxymelle ſimplici *(a)*, vel rob ſambuci *(b)*, hic praecipuum locum obtinent. Alvus enematum emollientium ope libera tantum ſervatur; cavetur ſic, ne conſtipatione calor augeatur, vel alvus fuſior, morbi adhuc crudi coctionem impediat. Ad urgentes capitis dolores ſedandos, epiſpaſtica plantis pedum, vel epithema ex pane et aceto fronti applicatum, quandoque conducunt.

Opti-

---

sem. quat. frigid. mai. drach. V.
Misce f. cum aquae communis
q. s. emulsio, colaturae libr. j. adde nitri puri drach. sem.
Syrup., althaeae drach. iij.
Misce capiat omni hora vasculum.

(a) ℞. rad. althaeae unc. j.
coque per ½ horae in aquae communis q. s.
sub finem coctionis adde flor. verbasc. drach. iij.
colaturae libr. ij. adde nitri puri drach. j.
oxymell. simpl. unc. ij.
Syrup. rub. idaei unc. j.
Misce da, signa: capiat omni hora vasculum.

(b) Eidem decocto, loco oxymellis, rob sambuci unc. j. sem. additur.

Optimus huius, omniumque inſlammatoriorum morborum exitus, benigna resolutio, etsi raro, quandoque tamen morbo ante quartum diem finem imponit; sed hoc magis optandum, quam expectandum eſt, praecipue quando febris, ut in hac epidemica conſtitutione, validis symptomatibus ab ipso initio ſtipata eſt: nam in levissimo tantum gradu talis resolutio obtingere poteſt.

Satis felices itaque nos exiſtimamus, si bona crisi per sputa, urinas, sudoresque, in pleuritide vera et notha; atque praesertim per copiosa sputa bene cocta, leviter ſtriata, quando inflammatio pulmones occupat, natura, septima, nona, undecima, imo decima quarta die, materia morbi se liberare valet. Quando crisis incipit, in usu supra relatorum remediorum pergendum eſt, et venae sectionibus supersedendum; nisi, critica quadam evacuatione interrupta, signa recrudescentis inflammationis (febris fortior cum respiratione difficilior) phlebotomias iterum inſtituere iubeant,

Spu-

Sputorum coctionem, et excreationem promovet kermes minerale, parvis et repetitis dosibus datum. Soleo ipsum ad grani quartam partem omni bihorio dare cum saccharo (*a*): talis enim dosis nec nauseam, nec vomitum creat, facile ab aegris fertur, et promovendis sputis plerumque sufficit. Infusum theaeforme superbibitur.

In morbis inflammatoriis, tam pectoris, quam abdominis viscera occupantibus, quando per venae sectiones phlogosis iam temperata eſt, nihil ad levandas partes affectas, morbumque ad crisim perducendum magis conducit, quam vesicans loco affecto, quam proxime fieri poteſt, appositum. Hunc curandi modum satis commendare non possum, cum mihi in praxi viginti quinque annorum felicissime successerit.

(*a*) ℞. Kerm. mineral. gran. ij.
Sacchar. alb. gran. xxij.
Misce exactissime in mortario marmoreo et divide in viij. partes aequales, da: capiat omni bihorio pulverem.

rit. Dum veſicantia cuti admota remanent, emulſiones pro potu ordinario, ad praecavendam ſtranguriam, neceſſariae sunt.

Hisce omnibus adhibitis, si tamen morbus crudus absque coctionis signis perdurat, cum pulsu, non magno, sed frequentiſſimo, et tenso; cum summa inquietudine, ac subdeliriis, camphoram parva dosi, ad granum nempe dimidium cum aliquot granis sacchari omni bihorio, vel eadem proportione in emulsione *(a)*, dare soleo. Sub hisce circumſtantiis eam optimos effectus praeſtare vidi, coctionem materiae, et crisin promovendo, dum ſibrarum, et vasorum nimiam tensionem laxat.

Omnis inflammationis pessimus exitus, gangraena, in inflammationibus inter-

---

(*a*) ℞. Camphorae gran. ij. amygdal. dulc. excort. drach. vj. Misce tere in mortario marmoreo, sensimqne affunde aquae communis q. s. et fiat emulsio, colaturae libr. j. adde Syrup. althaeae drach. iij. Misce capiat omni bihorio vasculum trium unciarum.

internis superveniens paucis horis vitae finem imponit. Incipiens cognoscitur. si primis diebus morbi inflammatorii vehementiſsimi subita omnium symptomatum remiſsio accidat, cum pulsu parvo intermittente, et extremitatibus frigidis, summa debilitate, facieique subita mutatione, ac colore cadaveroso. In hoc ſtatu nec a natura, nec ab arte aliquid exspectandum eſt.

Suppuratio interna.

Suppuratio interna febrem inflammatoriam excipiens, cognoscitur remiſsione symptomatum cum horripilatione, atque febricula, sensu ponderis in loco affecto, exacerbatione vespertina, praecedente horrore: cumque hic praecipue de peripneumonia agatur; respiratio difficilis remanet, in latus oppositum iacere non poteſt aeger; tussis sicca ipsum die nocteque torquet, mucosa tantum, et cum summa difficultate exscreat. Loco febris inflammatoriae, febricula lenta remanet, quae totum corpus depascitur, etsi appetitus redire incipiat: sicque in veram phthi-

phthiſin pulmonalem, chronicorum morborum frequentiſſimum, curatuque difficillimum, aeger incidit. Talis exitus ſemper timendus eſt, ubi nulla criſis per ſputa bene cocta febris inflammatoriae receſſum comitatur; hoc eſt, quando morbus non iudicatur, ſed in alium tranſit.

Si aer ruſticanus purus, lac, et equitatio aegrum non iuvant, multo minus a reliquis remediis hucusque notis curatio huius morbi expectanda eſt.

Bonos tamen effectus a decocto corticis peruviani [a] et ſummitatum millefolii, cum lacte uſurpato, in pluribus expertus ſum: at a cortice abſtinendum iubet experientia, quando reſpiratio valde difficilis obſervatur, et ſputa minus libera ſunt. Decoctum lichenis Islandici cum lacte ſub iisdem

(a) ℞. cort. peruvian. unc. sem. coque per horam in aquae communis q. s. sub finem coctionis adde
summit. millefol. drach. ij.
colaturam libr. j. da, capiat ter vel quater de die cochlearia quatuor cum lactis cochlearibus duobus.

conditionibus quoque convenit.

Sanata peripneumonia, maxime cavendum eſt, ne quacunque de causa, praesertim ex refrigerio, recidivam aeger patiatur: sed adhuc multo maiorem attentionem habere debet medicus, si tussicula remanet, vespere noctuque praecipue moleſta, ne in phthisin tuberculosam aeger incidat, et sic lente consumatur. Lac asininum, caprinum, cum aquis selteranis; aer ruſticanus, si tempeſtas favet; diaeta tenuis, abſtinentia a cibis, et potibus calefacientibus, praecipua sunt, quae convalescentes ex hoc morbo in perfectam sanitatem reducere possunt.

Morbi pulmonum inflammatorii optime quidem iudicati, tantam asperae arteriae, et bronchiorum irritabilitatem relinquunt, ut tussis plerumque sicca aegros die nocteque saepe moleſtet. Huic symptomati succurrere soleo, praeter modo dicta auxilia, aliquot granis massae pilularum de ſtyrace, hora nona vel decima vespertina datis, a parva incipiendo dosi, sensim pro necessitate augenda.

CA-

CAPUT IV.

Febris Catarrhalis vere anni 1782. *Epidemice graſſans*, *morbus Ruſſicus*, la Grippe, Influenza *vocatus*.

Urentes aeſtatis anni 1781. calores qui ſine pluvia per tres menſes continuos [a medio Junio ad medium Septembrem) perſtabant (*a*), tantos ſudores exprimebant, ut multi homines vera ſudamina, qualia in febribus quibusdam, methodo praeſertim calida tractatis, obſervamus, in toto corpore vel variis eius partibus, absque ullo alio incommodo, haberent, baleneis tepidis vel frigidis facile debellanda.

Calidiſſimam ſiccamque aeſtatem ſequebatur autumnus humidus frigidusque:

(*a*) Mercurius in thermometro Reaumuriano fere ſemper, intra 24. et 28. gradus media die in umbra aſcendebat.

que : prima hiemis pars ad finem Decembris usque imbrica fuit.

Auguſto, et Septembri dysenteriae apparuerunt, sed nec frequentes, nec valde exitiosae. Febres intermittentes tertianae, quartanae, praeteritis annis frequentiores, autumno iam adulto, observabantur. Cum hieme febres rheumaticae inflammatoriae (ut praeteritis annis) apparere inceperunt, et ad mensem Maium usque dominium obtinuerunt.

Sub finem Januarii audivimus, et ex ephemeridibus publicis accepimus, Petropoli die huius mensis 2. tantam et adeo subitam in atmosphaera mutationem factam esse, ut thermometrum, quod pridie 35. gradus infra o. notaverat, ad 5. usque ascenderit; adeo ut nychthemeri spatio differentia temperiei coeli 30. graduum esset. Eadem die circa 40. millia hominum febre catarrhali correptos fuisse referebant, vixque sufficientem numerum militum sanorum pro vigiliis inter numerosam militiam repertum fuisse; in ipsaque aula

dictam febrem proceres, famulos, servosque promiscue aggressam esse; paucos tamen morbo succubuisse, qui per aliquot dies tantum durabat, sed multos diu debiles infirmosque relinquebat.

Sequentibus mensibus Sueciam, Daniam, circulum Saxoniae inferioris et superioris visitabat febris epidemica, quam multi ob originis locum, morbum Russicum, Angli vero influentiam nuncupabant. In hisce regionibus maximam incolarum partem subito hoc morbo correptam fuisse in ephemeridibus legimus; audivimusque iſtam febrem, quamquam in genere minime periculosam, nonnullos, praesertim Hafniae, Lipsiae, et Dresdae, ad tumulum duxisse. Ineunte Maio Pragam pervenit, et eiusdem mensis medio Viennae, tempeſtate adhuc frigida, ipsam primum observavimus. Paucorum dierum spatio omnes fere familias urbis et suburbiorum morbus epidemicus invasit, plures in ipsis occupans; adeo ut vix quarta incolarum pars, spatio sex hebdomadum (a medio Maio ad

 finem

finem Junii) quo ille hic duravit, ab ipso libera evaserit.

Variam tunc habuimus atmosphaerae temperiem, nunc per aliquot dies (ut ſine Maii, et initio Junii) calidam, et siccam; mox humidam, et frigidam; dein iterum calidissimam, nullam tamen differentiam tam in numero aegrotantium, quam quoad symptomata et vim morbi, sub hac vel illa tempeſtate animadvertere potui. Ab ultimis Maii diebus ad medium Junii plurimos aggressus eſt morbus, dein ad solſtitium usque aegrorum numerus minuebatur, et a solſtitio ad ſinem mensis pauci in morbum incidebant; sed ultimi iſti non mitius morbo afficiebantur, quam illi, qui inter primos, vel ante aliquot septimanas ipso laboraverant.

Recidivas aliquot vidi, observavi quoque peripneumonias, pleuritides veras, et nothas, leves inflammationes inteſtinorum &c. a conſtitutione epidemica in aliquibus excitatas, in nonnullis vero ut morbos sporadicos.

Non solum Viennam, sed et to-

tam Auſtriam inferiorem superioremque, Hungariae, Italiaeque partem pervasit morbus epidemicus. Per integrum mensem hic loci infantibus pepercit, dum adultos turmatim aggrediebatur, illos tandem quoque afficiens, vulgo mitius habere solebat.

Robuſtiores, plethoricosque homines ab initio affecit, tandem debiles cum infantibus. Ineunte Junio me vehementissime tenuit hic morbus, uxor vero mea, et maxima numerosae meae familiae pars ipsum sine magno incommodo tulerunt.

Decursum, et symptomata morbi, ut illa observavi, tuncque adnotavi adamussim referam.

Lassitudinem, et horripilationem sentiunt, moxque frigore corripiuntur cum tussicula, coryza, capitis et pectoris dolore, respiratione aliquantum difficili, artuumque doloribus. Haec symptomata cum subsequente calore secundo die graviora facta, tantam debilitatem comitem habent, ut robuſtissimi vix aliquot passus progredi valeant,

leant, et fere continuo iacere cogantur. Dolores rheumaticos vagos in collo, humeris, ad scapulas et pectus sentiunt; at dolorem permanentem sub parte superiori ſterni, in aspera arteria, et larynge habent, tussi vel inspiratione auctum. Tussis aegros valde vexat, dolores capitis lancinantes excitans; mucosa tantum exscreant, similia quoque evomunt. Pulsus frequentia et duritie variabilis admodum in eodem aegro observatur; cutis calor siccus et urens eſt; inquietudo summa situm servare non sinit; plerique temulenti et soporosi sunt, nonnulli subdelirant, praecipue plethorici; si dormire incipiunt, somniis turbantur, subsilientes evigilant, tussique vexantur; alvus adſtricta urinae crudae, aquosae; cutis arida. Secundum diem hoc modo transigunt mox plus, mox minus febricitantes, debilesque. Die tertia omnia parumper leviora apparent; mane aliqua sputa cocta, nonnunquam sanguine ſtriata, cum difficultate eiiciuntur, unde levamen percipiunt; sed haec

rara adhuc sunt, et tussis inanis aegros torquet. Caput minus grave, non adeo dolet; febris mitior; cutis nec arida, nec urens, urinae minus aquosae sunt; et aeger de doloribus artuum, cephalalgia et coryza non adeo conqueritur, atque obambulare valet; et plerique negotia sua obire possunt.

Nox quartum diem praecedens, et ipse quartus dies aegris maiorem moleſtiam afferunt; plus febricitant quam tertio, tussis quoque siccior, et frequentior eſt: dolores pectoris, capitis artuumque; sitis, inquietudo, ut die secunda; sed minus temulenti et soporosi sunt; urinae semicrudae, lingua mucosa, alba; anorexia, alvusque tarda apud plerosque observantur. Dies quintus scenam magis laetam profert; somnus noctu tranquillior fuit, somniis tamen adhuc terrificis turbatus; apyrexia vel perfecta, aut pulsus naturali tantum paulo frequentior; sudor acidum redolens vel saltem cutis madida; exscreatio liberior sputa cocta glutinosa cum levamine profert. Urinae co-

ctae,

ctae, sed non criticae; alvus liberior. Doloribus pectoris, capitis artuumque evanescentibus, succedit laſſitudo ingens cum debilitate, et tanta inertia, ut ipsi agiliſſimi, et vitae otiosae minime dediti, labores et motum corporis adhuc aegre ferant. Appetitus, etsi non amplius nauseent aegri, spatio aliquot dierum proſtratus permanet: at sitis non naturali maior. Sic, dum tussis mitior fit, cum exscreatione liberiori, cutisque madida remanet et noctu sudant, aegri priſtinam sanitatem sensim, at lente, recuperant; diebus alternis sese peius et melius habentes: aliqui enim sexta, et nonnulli octava adhuc febricitant. Tussis tamen mox sicca, nondum cessat; sed apud multos per plures dies, imo hebdomades perdurat, cum debilitate totius corporis, inertia, et appetitus defectu. Senes pituitosi, phthisicique male inde se diu habent, et ex hisce aliqui succumbunt morbo, qui, praeter aliquot homines antea pectoris vitio quodam pessime affectos, fere nullos in no-

ſtra

ſtra urbe interfecit. Aliquos novi, qui dum ex morbo noſtro epidemico convalescebant, febre quotidiana correpti sunt, unumque nunc quo haec scribo (5. Iulii 1782.) sic affectum curo. Gravidis propter tuſſim continuam et agrypnias, caeteris paribus, magis, quam reliquis moleſtus fuit.

Mirum eſt quantas moleſtias, anxietatesque morbus, quoad praecipua symptomata et exitum, alias levis, plerisque creaverit, quantumque sanum corporis et faciei habitum paucis diebus mutaverit.

Febris huius catarrhalis epidemicae signa propria erant aggressio subitanea (*a*) et tantus primis diebus membrorum dolor, tantaque dein laſſitudo et inertia per plures dies permanens, qualia in morbis huius generis nunquam observantur.

Hunc morbum nullo modo contagiosum fuisse, sed epidemicum proprie

(a) Unde ab aliquibus Blitzkatarr vocabatur.

prie dictum, nempe per atmosphaeram communicatum, extra omne dubium poſitum eſt: uno enim impetu plerosque regionum, quas invadebat, incolas indiscriminatim afficiebat, divites, pauperesque, proceres et plebeios: in hac familia omnes, in iſta pauci aegrotabant, reliquis sanis remanentibus; hic dominos, ibi servos magis afficiebat. Aliquot dierum spatio per totam urbem, et suburbia, imo Auſtriam inferiorem, superioremque dispersus fuerat. Haec omnia aliter se habent in morbis per contagium propagatis: vide tractatum meum de peſte, Observat. mearum Tom. I. part. II. Quamquam sensibiles atmosphaerae qualitates ad morbum hunc iam in regione grassantem in hoc vel iſto homine excitandum aliquid contulerint; epidemicam tamen febrem noſtram ab hisce qualitatibus non pendere, sed aliquid ignoti (*a*) in atmosphaera haesisse, certum eſt, quod in regionibus borealibus

(a) Conf. Sydenham. Sect. 1. cap. 2. de morbis Epidemicis.

bus et ad littora maris Baltici primum, dein per totam Germaniam, Galliam, Belgium, Angliamque (*a*), atque tandem mense Septembri Italiam, Lusitaniam, et Hispaniam, ut causa propria, morbum hunc excitavit. Regularem enim cursum servavit, ut supra relatum eſt; atque praeterea toto tempore, quo apud nos hoc malum epidemicum hospitabatur, tempeſtas aeque variabilis fuit, ac ante. Si causa in qualitatibus sensibilibus aeris haesisset, a Ianuario ad hunc usque diem, quo haec scribo (medio Iulii) nihilque epidemici apud nos amplius remanet, debuisset sine intermissione grassari. Cum tamen, ut demonſtravi, in atmosphaera exſtiterit; debuit itaque, iuxta Sydenhami assertum, ignotum quid et sensus noſtros fugiens latuisse, quod epidemicum iſtud creavit.

Curatio.

Symptomata apud plerosque in no-

(*a*) Classes Anglicae in mari Britannico, Belgicaeque naves in portu, nautas suos malo nostro epidemico affeetas habuerunt.

noſtris regionibus obſervata, morbum hunc epidemicum veram eſse febrem rheumaticam seu catarrhalem, plus minusve, at plerumque leviter tantum, inflammatoriam, denotabant; huius levis inflammationis sedes praecipue in thoracis partibus internis externisque reperiebatur: apud nonnullos tamen inteſtina occupabat.

Methodus vero curativa, quam omnium efficacissimam reperi, qua inter plures centenos aegros ne unicum quidem amisi, et qua, vel simili, alii medici aeque felices fuerunt, morbi inflammatoriam indolem, at benignam simul naturam, demonſtrat. A primo insultu, vel secundo morbi die, quando pulsum frequentem tensumque reperiebam cum tuſſi sicca, et non levibus pectoris et capitis doloribus, sanguinem ſtatim mittere iubebam ad uncias decem vel duodecim. Hac sanguinis detractione adeo levabantur aegri, ut omnia symptomata ſtatim remitterent, et secunda venae sectione raro opus eſset.; etsi poſt aliquot horas

ras tantum levamen non amplius sentirent.

Infuſum theaeſorme ex floribus verbaſci et papaveris rhoeados affatim bibendum cum, vel ſine lacte, praeſcribebam; decoctumque ſequens.

℞. Rad. althaeae unc. ij.
coq. per ½ horae in aquae communis q. s. colaturae libr. ij.
adde
rob. ſambuci unc. ij.
nitri puri drach. j.
ſyr. rubi idaei unc. j.

Miſce, da, ſigna, ſumat omni bihorio vaſculum. Si alvus adſtricta eſſet, decocto aliquot drachmas ſalis polychreſti addebam, vel mixtura ſequente aeger utebatur, ut alvus libera, ſed non fluens, fieret, ſuperbibendo infuſum theaeſorme.

℞. Aq. communis unc. v.
rob. ſambuc. unc. j.
ſalis polychreſt. drach. iij. vel unc. ſem.
nitr. puri drach. j.
ſyr. rub. idaei unc. j.

Mi-

Misce, da, signa, capiat omni bihorio cochlearia duo, vel tria, donec alvus libera fiat.

At plerumque, ubi linguae color non denotabat saburram in primis viis congeſtam esse, enema emolliens quotidie iniectum ad hunc scopum sufficiebat. Nihil in hoc morbo magis conferebat ad omnia symptomata, tussim praesertim et dolorem pectoris, levanda, febremque mitigandam, quam frequens potuum tepidorum usus. Linctus quoque ex oleo amygdalarum dulcium cum vitello ovi, vel mucilagine gummi arabici et syrupo diacodii conducebat. Pro potu ordinario, emulsiones ex amygdalis dulcibus cum semine melonum vel peponum suadebam. Haec ad quartam vel sextam diem adhibebantur, et dein solo infuso theaeformi, cremoreque hordei ad sputorum excretionem promovendam aegri utebantur, in quorum usu tamdiu pergebant, quamdiu tussis remanebat, quae apud plures ad tertiam quartamque hebdomadem perdurare solebat; plerique

que tamen ab ipsa poſt octo vel decem dies liberabantur.

Eadem methodus noſtrum morbum epidemicum sanabat, quando formam peripneumoniae, pleuritidis spuriae et enteritidis sumebat: at frequentes tunc venae sectiones requirebat; et alia auxilia supra relata (*a*) cum modo dictis, iuxta symptomata, in usum vocari debebant. In enteritide cataplasmata emollientia diu noctuque abdomini imposita multum iuvabant; nec erant spernendae inunctiones, cum unguento de althaea factae.

Inappetentia ciborum et debilitas, quae diu poſt hunc morbum remanere solebant, nullo remedio ſtimulante vel roborante, quae calefaciendo in similibus casibus semper nocent, et recidivas creant, corrigendae erant.

Nec purgantia conducere mihi videbantur, cum observarem, illis adhibitis, convalescentes vehementius, et diu-

(*a*) Capite praecedenti ubi de inflammationibus internis agitur.

diutius tussire debilesque remanere.

Febris noſtra epidemica apud aliquos poſt sextam diem typum febris intermittentis quotidianae sumebat; tussi, dolore pectoris, et cephalalgia paroxysmum febrilem comitantibus; in nonnullis febris haec protractis paroxysmis febrem continuam referebat; sed utraque cortici peruviano facile cedebat.

CAPUT V.

Febris Arthritica Hiemis anni 1782-83.

Hieme anni 1782-83. idem morbus ſtationarius reliquis omnibus adhuc morbis praevaluit, quamquam non adeo frequenter ac praeteritis octo annis observaretur. Successus aeque felices methodi enarratae virtutes confirmarunt.

Febris arthritica, plerumque continua

tinua remittens, cum exacerbatione veſpertina atque doloribus arthriticis vagis, tot homines hac hieme occupabat, ut hunc morbum, intercurrentem, epidemicum dicere quodam modo poſſim. Frequentibus atmosphaerae mutationibus ab humido nebulosoque in frigidum atque serenum, et vice versa, huius morbi causa facile tribuenda eſt. Praeterea maturius incipiens frigus, ab initio Novembris iam nives dederat. Miseri hoc morbo laborantes intolerabiles in omnibus articulis dolores vagos patiebantur, qui vespere aucti cum febre manifeſta, sensim versus mediam noctem adhuc crescebant, et ad auroram usque eiulatus exprimebant. Per totam diem inducias dolores dare solebant, febrisque vix observabatur: sed aegri, in uno situ iacere coacti, nullum membrorum motum ferre poterant, quin summis in hac vel illa parte doloribus cruciarentur. In miserando tali ſtatu, sine appetitu, dies noctesque transigebant, non solum per hebdomades, sed spatio duorum triumque

menſium. Venae sectio, methodusque antiphlogiſtica, quae alias contra hoc morbi genus indicantur, et saltem levamen afferre solent, nequidem dolores hoc anno mitigare potuerunt.

Ab opiatis nocturno tempore datis ſtuporem adeo ingratum plerique sentiebant, cum doloris sensu obscuro mixtum, ut acutos dolores illis praeferrent; atque opiata amplius sumere nollent.

Parum profuit camphora; antimonialia, ut kermes minerale, et sulphur auratum antimonii, parvis, et repetitis dosibus data, nihil praeſtiterunt. Extractum aconiti viribus carere in hoc morbo videbatur. Decocta bardanae et sarsaeparillae nullum aegris emolumentum afferebant. Corticis peruviani varia forma, dosibusque diversis dati, vires eludebat hic morbus, huic aliisque enarratis remediis aeque rebellis. Nonnunquam per aliquot dies remittebat, tuncque haec vel illa adhibita methodus convenire videbatur, sed recrudescentia mox eadem symptomata,

quam-

quamquam nihil in cura mutaretur, praeconceptam spem auferebant. Sudores sponte orti, vel arte eliciti, debilitatem, at nullum levamen, inducebant. Cum intolerabiles aliquot aegrorum cruciatus, nullis cedentes remediis, me in desperationem fere agerent, et anni tempus impediret, quominus ipsos ad thermas noſtras Badenses, ad similes morbos summe efficaces, mittere possem; balnea sulphurea artificialia, thermalibus (quantum fieri poteſt) similia parare cogitavi. Praeparabam itaque hepar, unam partem sulphuris et duas calcis vivae super lenem ignem aſſidue agitando, et huius hepatis libr. j. sem. solvebatur in aquae quantitate sufficiente pro balneo.

Calcem vivam ad compositionem hepatis sulphuris, sali alcalino cuicunque in hoc casu praeferendam iudico; aquam enim fluvialem odore et virtutibus thermali magis similem facit. Aegros quotidie in labrum aqua hac medicata tepida plenum immittebam, ibique per integram horam, dein per

horas duas, relinquebam; addendo identidem aquam calidam, ut in eodem tepore manerent. Balneo exeuntes abſtergebantur linteis calidis, et in lectum calefactum reponebantur.

Tantum levamen miseris aegris hoc balneum afferebat, ut primis iam diebus, cum dolores mitiores evaderent, somno per longiora intervalla frui inciperent. Nonnullos vidi, qui vix membrum movere antea potuerant, poſt quintum balneum erecto corpore ſtare, et ex aqua surgere. Solo horum balneorum usu plerique sanitati brevi reſtituti sunt, membrorumque motum recuperarunt.

PARS

PARS II.

De variolis naturalibus et insititiis.

CAPUT I.

Variolarum brevis Historia.

Variolae, morbus Graecis et Romanis ignotus, circa annum a nat. Chr. 572. in Arabiam allatae, sub Omaro anno circiter 640. (*a*) in Aegyptum, et saeculo sequente cum Arabibus in

(a) Reiskii opuscula medica ex monumentis Arabum. Halae 1776. pag. 8. Ex antiquitate inoculationis in India (de qua infra) videtur hanc regionem variolarum incunabula fuisse, indeque in Arabiam devenisse.

Europam transmigraverunt, ubi ad hanc usque diem remanent, et nunquam absque dubio exſtirpabuntur. (*a*)

Cum medici viderint miasma variolosum corpori per contagium introductum maximas turbas excitare, ipsiusque deſtructionem minari, atque papulas in cute procreare peculiaris naturae, quibus in bonam suppurationem abeuntibus, aeger sanabatur, sic in scholis ratiocinati sunt: *Venenum est, quod totis viribus a centro ad peripheriam corporis propelli debet.*

Hoc posito et tanquam axiomate recepto, sequebatur, medicamenta calefacientia, quae nomine alexipharmacorum insigniebantur, cibos et potus similis naturae, aeremque calidum, ab omnibus ad hunc morbum laudata fuisse atque commendata; miserosque aegros toto morbi decursu sub ſtragulis in

(*a*) Rhazes fine saeculi IX. de variolis scripsit, et refert Aaron medicum Alexandriensem primum fuisse, ipsas anno D. 622. descripsit.

in continuo sudore et propriis sordibus decumbere debuiſſe.

Sic quidem tota corporis ſuperficies plerumque variolis tegebatur, nullumque cutis punctum ab illis liberum remanebat: sed iſti aegri fere omnes moriebantur. Scholae ex hoc se extricare tunc valebant, dum proferebant: maximam, nulloque pacto superandam corpori insidere debuiſſe miasmatis copiam, cum, poſtquam tanta quantitas ad peripheriam protrusa fuiſſet, ſufficiens tamen in centro adhuc remanſiſſet ad aegrum iugulandum.

Haec argumenta tam densam caliginem oculis omnium, ad quos scientia medica pervenerat, induxerant, ut non viderent ruricularum proles, sibi relictas, in aere libero, imo frigido et gelido variolas suas multo facilius ferentes, minus aegrotantes, foedis cicatricibus multo rarius deformes aut mutilatas, quam proceres cultioresque urbium incolas.

Sic spatio decem saeculorum praeconcepta falsa opinio a magiſtris in disci-

diſcipulos, ab his in reliquos cives translata, innumeranda hominum millemillia occidit. Nec ensis, nec pulvis pyrius, omnisque generis machinae bellicae tantam ſtragem fecerunt, quam exitiosa haec theoria. Cum inter variolis affectos septimus minimum moreretur, omnesque homines, paucis exceptis, illis semel in vita laborent; sequitur magnam partem Europaeorum, ne dicam omnium terrae incolarum, ad quos variolae pervenerant, ab illis enectam fuisse (*a*).

Prae-

(a) Haec et similia sunt praeiudiciorum in medicina et ratiocinii experientiae oppositi producta. Quamquam hoc aevo philosophia nostram artem ab ipsis tueatur, veritatisque viam observatione duce quaerendam esse velit; dantur tamen quandoque homines, qui fallaci theoria decepti antiquos et funestos errores renovare student. Sic quidam argumentis super argumenta, ratiociniis super ratiocinia constructis inferre conantur, pestem morbum proprii et definiti generis non esse, sed meram febrem putridam intensissimam, quae, more aliorum morborum epidemicorum, ex aeris et corporum con-

stitu-

Praeterito saeculo magnum Sydenhami ingenium theoriae scholaſticae errorem et methodi calidae periculum persentiscens, damnosum praeiudicium debellare incepit, dum suadebat aegros quo-

---

stitutionibus ubique nascitur, et per atmosphaeram magis, quam per contagium propagatur; adeoque cautelas adversus contagii propagationem inutiles superfluasque esse. Non solum itaque falsam scholarum medii aevi theoriam admittunt; sed deducendam inde periculosam et generi humano valde infestam incuriam defendunt, quae tot tantasque clades Christianis Europae incolis olim induxit, nuncque adhuc barbaram Turcarum gentem, mox in his, mox in illis vastissimi imperii partibus, continuo huius cladis victimam reddit. At nostris temporibus, felici experientia regionum, in quarum finibus cautelae bene observantur, et damno earum ubi neglectae fuerunt, verisque observationibus adeo lucide demonstratum est pestem per solum contagium, hoc est, contactum aegrorum vel rerum infectarum, minime vero per atmosphaeram propagari; in Europaque nunquam observari, nisi aliunde allatam: hoc, inquam, adeo demonstratum et stabilitum est, ut sententiae eorum, de quibus supra mentionem feci, neminem fere in errorem nunc ducant, et illos, quibus dubium aliquod adhuc remanere posset, ad recentiorum loimographorum observata et huius operis tomi primi partem secundam remittere sufficiat.

quotidie per aliquot horas extra lectum retinere, a medicamentis calefacientibus abſtinere, nervorumque turbas levibus paregoricis sedare. At haec luminis scintilla tantas tenebras fugare non poterat; pauci enim, qui Sydenhamum intelligebant, viam tot saeculis tritam vix ausi sunt relinquere, et plerique caedem a variolis factam soli morbi atrocitati, et non methodo curandi tribuebant. Tandem poſt medium saeculi XVIII. methodus empirica, qua in curatione variolarum insititiarum a 30. iam annis in Anglia utebantur, caliginem dispellere incepit; et ante 15. circiter annos novum omnino modum tractandi variolas naturales, sola felici experientia suffultum, atque praecedentium saeculorum theoriae oppositum, introduxit.

CA-

CAPUT II.

Variolarum Inoculatio.

Variolarum inoculatio aera chriſtiana in peninsula Indiae longe antiquior, cum caeremoniis religiosis ibidem a sacerdotibus (Brachmanis) singulis septem annis celebratur (*a*). In Circassia illam a longo iam tempore in usu esse dicitur, indeque Conſtantinopolin allatam fuisse. Anno 1717. illuſtrissima matrona Myladi Wortley Montague

(*a*) An account of the manner of inoculating the small pox in the east Indies by J. Z. Holwell. F. R. S. London 1767. Ives, Chirurgus Anglus, qui in Regno Bengaliae et vicinis regionibus morabatur, refert variolarum inoculationem, quamquam in aliis Indiae Orientalis partibus non vulgarem, in Bengalia frequenter celebrari. Sumunt materiam variolosam ab aliquo, qui variolas benignas habet, illamque phialae immittunt: acus cuspidem ea humectant, et hac aliquot vulnuscula forma circulari faciunt in parte quadam carnosa corporis illins, cui variolas procreare volunt. In adultis utrumque brachium ad id eligunt. Sanguine absterso, vulnuscula materia variolosa inungunt, ut balneum aquae frigidae ter de die, victumque maxime refrigerantem

gue, legati anglici uxor, filium suum Constantinopoli inoculationi commisit, et in Angliam redux anno 1721. inoculationem exemplo filiae quammaxime commendavit: experimenta tunc auctoritate publica in hominibus capite damnatis inſtituta sunt, hisque feliciter cedentibus, nobiles nonnulli prolibus suis variolas inseri curabant, et horum exemplum pars familiae regiae anno 1722. secuta eſt.

Inoculatio non solum, loco diri et exitiosi morbi, variolas leves et minime periculosas creat, sed etiam per analogiam docuit variolarum naturalium aliorumque morborum acutorum exanthe-

---

ex cucumeribus citrullis, melonibus oryza et aqua imperant. Quando febris supervenit, quod 5.ta vel 7.ma die accidit, aeger balneis frigidis et modo dictis alimentis abstinet, atque lacte saccharoque vescitur. Febris tres dies perdurare solet. Secunda eruptionis die aqua frigida totum corpus lavant, quod quidem pustulas replet; et sic per tres dies continuos pergunt, bis vel ter de die lavando corpus aqua frigida; lacteque et saccharo vescentes. Quando variolae siccantur se aqua rosarum aspergunt. Edward Ives's voyage to India in the year 1754. London 1773. in 4. pag. 54.

thematicorum vim deletricem minuere: unde, ut Hiſpanienſi comitiſſae Cinchona ob allatum ad nos ante 140. annos corticem peruvianum, ſic Anglicae matronae propter inoculationem, aras debemus.

Cum inoculatio variolarum nunc per totam Europam nota ſit, non multum in ipſa morabor: ſed paucis tantum, et quidem ex ipſa experientia depromptis argumentis, praeiudicia, quaedam debellare conabor, quibus multi adhuc ab ipſa deterrentur; nec non alia, quae inutilem apparatum, noxiumque medicamentorum uſum, ſub nomine praeparationis, introduxerunt.

Quod ad hanc attinet, nulla opus eſt; requiritur tantum, ut variolas ſubiturus ſanus ſit et aeri libero aſſuetus. Apud infantes tempus dentitionis, quantum fieri poteſt, vitandum eſt; et pro adultis feminis intervallum inter duas menſtruorum periodos eligendum: ſtatim poſt abſoluta menſtrua operatio inſtituitur, ut exſiccatio puſtularum ante ſubſequentem periodum iam perfecta ſit.

sit. Cum vere anni 1768. omnium primus (*a*) in toto Imperio Russico variolarum inoculationem in orphanotrophio celebrarem, et poſtea quotannis eadem anni tempeſtate multis infantibus variolas insererem, occasionem arripui videndi quaenam methodorum, a variis inoculatoribus praedicatarum, aliis praeferenda esset. Inter triginta et quandoque quadraginta, pluresque infantes, quos quotannis ad inoculationem sumebam, aliquos promiscue sumptos methodo Dimsdalii praeparabam; per hebdomadem nempe ipsis quotidie dabam pulverem ex mercurii dulcis 4.[ta] vel 6[ta] parte grani, tartari emetici octava grani parte, et pulveris e chelis cancrorum compositi dispensatorii Edinb. granis aliquot. Medicamentum laxans hoc intervallo aliquoties ipsis porrigebatur; alii ex iſtis infantibus bis tantum ante inoculationem purgans ex rheo et sale polychre-

---

(a) Circa idem tempus exp. medicus Iänisch Petropoli inoculationem primus instituit.

chreſto, aliique ſemel illud ſumebant, nonnullis nulla omnino medicamenta dabantur. Omnibus hoc commune erat, quod, ab octo diebus ante inoculationem usque ad integram puſtularum exſiccationem, nec carnes nec piſces comederent; ſed ſolis oleribus, fructibus horaeis, pane et lacte veſcerentur, ac pro potu aquam haberent, totaque die in aëre libero tenerentur. Quamquam ſcrupuloſe ad omnia phaenomena attenderim, nullam differentiam inter variolas infantum variis ſic methodis praeparatorum et ſimul inoculatorum, tam quoad febrem aliaque ſymptomata eruptionem praecedentia, comitantia, et ſequentia; quam quoad puſtularum numerum reperi. Unde poſtea in publicis, et privatis inoculationibus nulla amplius praeparatione uſus ſum. Si vermes adeſſe ſuſpicor, ſemel medicamentum laxans praeſcribere ſoleo; totoque febris et eruptionis atque ſuppurationis tempore ſolum aëris liberi, et quantum fieri poteſt, frigidiuſculi uſum neceſſarium judico, qui ad mo-

tus convulſivos, quandoque eruptionem praecedentes, ſedandos quoque ſufficit. Hac methodo nullum unquam infantes inter plures centenos, quibus variolas artificiales inſerui, deſideravi.

Mirabiles effectus aeris liberi praeſertimque frigidiuſculi in temperanda febre eruptionem variolarum praecedente, convulſionibus, aliisque malis ſymptomatibus fugandis; et in producendis variolis multo magis diſcretis, melioriſque adhuc indolis, quam artificiales ipſae erant, dum olim infantes inoculati in aëre libero minus tenebantur (*a*); mirabiles inquam iſti effectus me iam ante annos 15. (*b*) induxerunt, eun-

---

(*a*) Nova methodus, qua pus varioloſum ſolis punctiunculis inſeritur, et inoculati in aëre libero continuo tenentur, ante 20. et aliquot annos a Sutton apud Anglos inventa et introducta eſt. Antea filis pure varioloſo imbutis utebantur, quae vulneribus in brachiis aliisve corporis locis, lanceolae ope factis, inſerebant; inoculatos vero aëri libero minus expoſitos tenebant. Novus modus multo tutior et facilior, priori ab omnibus nunc praefertur.

(*b*) Anno 1768. iam incepi.

eundem curandi modum variolis naturalibus aptare.

Antequam ad hanc variolis naturalibus medendi rationem veniam, praeiudicium, quod multos ab inoculatione adhuc deterret, radicitus evellere conabor, non ratiociniis, sed mera facta narrando. Unum ex potentiſſimis argumentis, quibus adversarii inoculationis illam oppugnare solent, eſt: variolas artificiales homines naturalium non immunes reddere. Cum, poſtquam Auguſtiſſima Russorum Imperatrix Catharina II. circa finem anni 1768. se una cum magno Duce throni herede, sub cura clar. Dimsdale, inoculationi commisisset, variolasque ambo feliciter superassent, multis, ob praeiudicium modo dictum, metus remaneret, ne variolis naturalibus tam cara capita adhuc obnoxia essent, ratiociniis omnibus sepositis, argumenta ex ipsa experientia hausi. Anno 1769. plures infantes (ni fallor 20.) Orphanotrophii, qui ante annum variolis per inoculationem functi fuerant, cum 40. aliis variolis

naturalibus, quae quidem non omnes optimae indolis erant, laborantibus, in iisdem aedibus, spatiosis et aëre bene perflatis, die nocteque per integrum mensem detinui; eorum nullus minimum morbi variolosi indicium dedit. Hoc singulis annis, finita inoculatione, repetere solebam, et eundem semper exitum habui. In praxi 25. annorum neminem unquam vidi bis variolis veris laborare; quod quidem de artificialibus aeque ac naturalibus asseverare possum: veris dico, nam variolae spuriae (*a*) quandoque occurrunt diversae a prioribus naturae, quae, etsi cum febre et vomitu aliquando accedant, forma tamen sua minus circulari, decursu celeriori, nullaque suppuratione sequente a peritis diſtinguuntur, a multis vero cum veris confunduntur; unde saepe error natus eſt, quando dicunt,

hunc

(*a*) Variolae lymphaticae, variolae volaticae Sauvages *nosolog. tom.* 1. *pag.* 422 aliam adhuc speciem constituunt.

hunc illumve hominem bis variolis naturalibus laborasse. Non sufficit tamen ad corpus miasmati varioloso in poſterum impenetrabile habendum, ut quis inoculationis operationem subierit, sed debet plaga, per quam pus introductum fuit, quinta et sexta die inflammari, dein formam maioris puſtulae induere; oportetque, ut sequatur circa octavam diem febris, ac tandem eruptio saltem unius vel alterius puſtulae, et ut vulnera in veram suppurationem abeant. Illi, in quibus omnia haec acciderunt, variolas insititias habuisse dici possunt; quibus vero defecerunt, in illis inoculationis operatio iterari debet; nam miasma variolosum non susceperunt, vel in ipsis iners remansit, licet ebullitio, quam Angli *rash* vocant, totum corpus occupaverit.

Non opus esse, credo, ut moneam, non omnia, quae temporis intervallo, quod inter insitionem puris variolosi et variolarum perfectam exsiccationem praeterlabitur, accidunt, inoculationi tribuenda esse. Aliorum morborum non im-

immunem reddit variolarum insitio. Quis vero, quavis vitae periodo, integra sanitate se trium septimanarum spatio fruiturum esse certus eſt? Cui morbi periculosi supervenire non possunt? Quem mors ipsa hoc temporis intervallo rapere non poteſt? Sic, hoc anno, filium regis magnae Britaniae natu minimum, sub ipsa inoculatione, angina inflammatoria suſtulit. Nuperrime in noſtra urbe puer tertium aetatis annum agens, et sanissimus, pridie quam insitionis operationem subire debebat, convulsionibus (forte a dentitione) corripitur, et elapsis aliquot horis moritur. Si hoc poſt inoculationem accidisset, a multis, sed immerito, ipsi adscriptum fuisset.

CA-

CAPUT III.

Nova et optima methodus variolas naturales curandi.

Inoculatio, paucis et rariſſimis casibus exceptis, variolas creat maxime discretas et optimae indolis, quae nullam curationem, praeter modo dictum regimen, requirunt. Variolas naturales, quando discretae sunt, et bonae indolis, sine medicamentis, more insititiarum omnino tractare soleo; quacumque anni tempeſtate aegros in aëre libero (hieme apertis saepe feneſtris) de die tenendo, noctuque in lecto leviter tegendo. Alvum liberam servare ſtudeo diaeta, et pro necessitate, enematibus. Carnibus interdicuntur, sed olera, lacticinia, fructus horaeos maturos, crudos vel coctos ipsis concedo, et pro potu aquam vel hydrogalam.

Sic variolae naturales discretae et bonae indolis aeque facile sanantur ac artificiales. Hanc ob causam a primo febris insultu, si ex symptomatibus, vomitu nempe, odore oris peculiari, dolore lumborum, cephalalgia ingenti et, apud irritabiles homines ac infantes, motibus convulsivis noctu praecipue supervenientibus, aliisque circumſtantiis scire possum febrem variolarum prodromum esse; omnia adhibeo quae hanc effervescentiam sufflaminare valent. Aegrum ſtatim e lecto surgere iubeo, utque aëri libero exponatur; vel, si atmosphaera hieme valde frigida eſt, ut cubiculi feneſtrae apertae teneantur, aegro veſtibus bene tecto. Mirum eſt, quantum hoc solum vires reficiat, et febrem siſtat, adeo, ut moribundum quasi hominem, dimidia hora elapsa, leviter tantum aegrotare credas. Ante noctem in lectum non eſt reponendus, et levia tantum ſtragula permittenda. Cubiculum, si possibile eſt, magnum eligo; et portas apertas tenendo aër frigidiusculus et renovatus nocturno tem-

pore in ipso servatur. Alvus enematibus libera tenetur; aqua, emulsiones nitrosae vel iulapia cum succo citri (limonade) pro potu, et lacticinia, iuscula tenuia, panatellae, fructusque horaei, conceduntur. Materiam turgentem in primis viis, si talem adesse linguae saburra evincat, per lene vomitorium ex radice ipecacuanhae, vel per laxans eccoproticum, eliminare soleo. Symptomata inflammatoria, ut cephalalgia ingens cum pulsu frequentissimo, duro, ac respiratione difficili; delirium furiosum &c. venaesectionem requirunt, iuxta aetatem et vires, moderandam repetendamque.

Hac methodo saepe vidi optimas et discretas variolas tertia vel quarta die prodire poſt febrem et symptomata, quae ab initio, prae vehementia sua, pessimas et confluentes aegro minabantur; atque regimine supra descripto adhibito facile superari.

Quando vero ob conſtitutionem epidemicam, vel peculiarem aegri habitum, aut male tractatum ab initio mor-

bum, variolas malae indolis, aut confluentes curandas habeo, quoad victum aëremque liberum aegrum meum teneo, ut ſupra relatum eſt, mutando quotidie, vel ſaltem omni biduo, indusium. Si ante perfectam eruptionem vocatus, ſebrem ingentem cum ſymptomatibus inflammationis internae reperio, venam ſecare non dubito. Enematibus emollientibus alvus ſemel vel bis nychthemeri ſpatio moveri debet. In variolis confluentibus et peſſimae indolis poſt eruptionem, ubi puſtulae non tument nec valde rubent, ſed potius collabeſcunt, et ichorem magis, quam bonum pus formare videntur; pulſus parvus et frequentiſſimus, ut in febribus putridis percipitur; ubi aeger ſoporoſus iacet et ſubdelirat; in acidis mineralibus et cortice peruviano ſolam ſpem pono; omnia enim in gangraenam tendunt, et non raro petechiae, imo nonnunquam carbunculi ſuperveniunt. Haemorrhagia narium, mictuſque cruentus, in hac periodo et ſub his circumſtantiis accidentes, peſſimi ſunt ominis,

putri-

putridamque solutionem sanguinis arguunt, adversus quam medicamenta modo laudata cum regimine frigido convenientissima sunt (*a*).

Uncia corticis peruviani optimi coquitur per integram horam in aquae communis q. s. colaturae lib. j. syrupi althaeae vel rubi idaei unc. j. sem. additur: huius decocti cochleare omni hora vel bihorio infanti datur; adulto tria vel quatuor cochlearia singulis horis; vel pro adulto mixtura paratur ex unc. v. aquae communis, unc. sem. extracti corticis peruviani et drach. vj. syrupi, cuius cochlearia tria omni bihorio sumit; ſi alvus non facile respondet, ut semel vel bis de die moveatur, utrique mixturae rheum, aut sal quoddam medium, additur. Pro potu communi praeter iulapium cum ſucco citri (limonade) decoctum hordei, cuius libr. ij. syrupi althaeae, rubi idaei, aliusve uncia una miscetur,

---

(*a*) Conferantur ea, quae hujus operis tom. I. part. I. de febribus putridis scripsi.

tur, et acidum vitrioli ad gratam aciditatem adiicitur; hic potus pro infantibus multo minus acidus eſse debet, quam pro adultis. Toto morbi tempore, quantum fieri poteſt, in aëre libero et frigidiusculo tenentur; et noctu tantum in lecto decumbere, tam adultis quam infantibus permitto. Aeſtivo tempore, quando tales aegri prae calore atmosphaerae in continuo fere animi deliquio iacent, locum in domus inferiori parte eligo, ubi aër magis motus et frigidior eſt.

Poſt decimum morbi diem, quando puſtulae in facie iam detumescente exsiccari incipiunt, in omni variolarum specie laxans eccoproticum propinare soleo, quod omni tertia, vel quarta die repetitur.

Variolis confluentibus furunculi, variaque apoſtemata sub axillis, aliisque corporis partibus supervenire solent, quae sub continuato usu corticis peruviani ad bonam suppurationem per cataplasmata emollientia perduci debent. Metaſtases illae materiam adeo acrem quandoque continent, ut ossium ca-

cariem excitet: unde ulcera fiſtuloſa oriuntur cum exfoliatione oſſium, plures menſes et annos perdurantia.

Sic variolas diſcretas et bonae indolis, tam naturales quam inſititias, ſolo aëris liberi uſu et diaeta convenienti tractatas, optimum exitum habere ſemper vidi; variolas vero confluentes et peioris naturae methodum enarratam ſaepe ſanaſſe, teſtari poſſum.

PARS III.

CAPUT I.

Lues Venerea.

Ad finem tertii ſaeculi tendimus, ex quo novum malum numerum morborum, qui brevem hominum vitam, iam calamitatibus plenam faciebant, non tan-

tum

tum auxit; sed aliis se uniendo, ipsos nunc magis rebelles et lethiferos reddit.

Lues venerea homines variis cruciatibus affligit, et poſt vitam miserrimam lento plerumque gressu ad tumulum ducit; generationes ab illis proventuras in ipso fonte suffocat, aut, quod multo peius eſt, proles deformes, ad dolores et vitam sibi aliisque onerosam creatas, generare ipsis adhuc sinit.

Si morbus hic adeo atrox perſtitisset, ut in origine sua, et primo ab origine saeculo saeviebat, de genere humano actum fuisset, nisi gentes adhuc intactae omnem communicationem immediatam cum aliis, hoc malo afflictis, sibi interdixissent.

Dum primos auctores legimus, qui de lue venerea scripserunt, et symptomata, decursumque mali comparamus cum ſtatu praesenti eiusdem luis, non possumus, non summas mundi creatori et conservatori agere gratias, quod partim malo, quod praesentibus et futuris

gene-

generationibus deſtructionem minabatur, indolem affixerit, qua sensim, quamquam lente, mitior evaderet; partim remedium patefecerit, quod ipsum in singulis hominibus curare, et radicitus evellere valet.

Ex iſta mitiori labis natura tamen factum eſt, ut latius apud omnes fere terrae gentes nunc serpat, generationem praesentem non deſtruat, sed chronicis morbis rebellibus magis affligat: futuras non adeo exſtinguat, quam debiliores novisque malis obnoxias reddat.

Mirum revera foret luem veneream inter populos Europam habitantes adhuc exiſtere, cum adversus ipsam specificum remedium habeamus; nisi notum esset ab eo tempore quo eius virtutes antivenereae innotuere, famam ipsius variam fuisse, unde nunc neglectum, nunc reiectum; mox alia aliaque forma, et praeparatione usurpatum fuit; mox dosi non debita adhibitum ad vitanda incommoda, quae ipsius usum uberiorem saepe comitabantur. Hydrargy-

gyrum, cum iam antequam labes venerea apparuerit, cum successu ad morbos quosdam cutaneos rebelles adhibitum fuisset, luesque ipsa plerumque cutem papulis, furunculis, herpetibus &c. deturparet, mature adversus hunc morbum in usum tractum, ipsiusque luis syphiliticae antidotum repertum est (*a*).

Sed mercurius, sive cuti sub forma unguenti illitus, vel interne datus, sub quacunque forma, ut mercurius dulcis, panacea mercurialis, turpethum minerale, aliaque praeparata, hoc peculiare habet, quod glandulas salivales petat, salivae se-et excretionem maxime promoveat, os totum internum afficiat; anginas, exulcerationes, gingivarum tumorem et mollitiem, dentium casum excitet. Salivatio incepta,

---

(*a*) Sebastianus Brant, Josephus Grunbeck et Joh. Widmann jam Anno 1496 et 97 usus unguenti mercurialis adversus hunc morbum mentionem faciunt. Vide Astruc pag. 545-552 et 556 et Phil. Gabr. Hensler eruditissimum opus (de quo infra) pag. 17. 30 et 24.

pta, etsi novus non adhibeatur mercurius, aliquandiu durat, quandoque per septimanas, aegri cum summa moleſtia, foetore oris intolerabili, nonnunquam et febre, magnam quotidie salivae tenacis copiam emittunt. Hac nimia excretione multi emaciantur, et in atrophiam incidunt; praecipue cum somnum dolores oris, et continuus salivae fluxus arceant, atque, praeter tenuia iuscula, et cremores, fauces nullum cibum admittant.

Per hunc salivae fluxum adeo moleſtum, materiam syphiliticam e corpore eliminari sibi persuaserunt medici (*a*), et sub hac vel illa forma mer-

---

(a) Nuperrime chirurgus angulus hac falsa opinione ductus· methodum excogitavit curandi hunc morbum, qua mercurii dulcis granis tribus vel quatuor partes oris internae, buccae vel labia quotidie digito fricantur, donec ptyalisimus superveniat. Vide Essay on the cure of abscesses by caustics and the treatiments of wounds and ulcers, with observations on some improvements in surgery, also a new method

curium tanta doſi paucis diebus adhibebant, ut salivationem abundantem excitaret; quae, si cessaret poſt aliquot dies, promovebatur per novas mercurii doses ad quatuor, et ultra septimanas.

Aegro, quem poſt tantam materiae, uti imaginabantur morbificae, excretionem integrae sanitati reſtituisse credebant, cum praecipua symptomata durante salivatione iam evanuissent, valedicebant.

Hac methodo non sufficiens mercurii quantitas sanguini per vasa absorbentia cutis, vel lactea inteſtinorum, intromitti poteſt ad superandum, integreque debellandum virus venereum omnibus humoribus miſtum, ipsamque durissimam ossium subſtantiam penetrans, et, si quantitas sufficeret, non satis

thod of introducing mercury into the circulation for the cure of the lues venerea. By P. Clarc Surgeon. London 1779. pag. 60. seq. et vide Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch praktischer Aerzte bter Banb pag. 110. seq.

satis diu moratur in humoribus ad illud subigendum; cum per ductus salivales, oborto ptyalismo, aufugiat.

Foetidissimus odor, quem tales homines, durante salivatione, spirant, non a viru venereo procedit, sed ipsius salivationis effectus eſt, cum sanissimus quisque, qui talem ptyalismum subiret, eundem ex ore foetorem emitteret.

Aegri aliquando poſt toleratam dolentissimam, et moleſtissimam, morbo ipso crudeliorem, salivationem, se sanos credentes, elapsis aliquot mensibus, desperati priora vel nova vident recrudescere symptomata, exiſtentis adhuc luis in humoribus haud dubia teſtimonia.

Vidi nosocomia, privatas aedes vidi, ubi homines per sex septimanas in atmosphaera calida, putrida, non renovata, capite tumente, ore ulcerato, foetidissimam cloacam referente, iacentes in lecto, atrocissima scelera potius expiare, quam morbo curari, videbantur.

Robuſtiores, vel illi, in quibus malum non altas adhuc radices egit, crudeliſſima hac cura sanantur, amiſſis plerumque dentibus, corporis toroſitate et robore: alii recidivam patiuntur, nonnulli marasmo et febre lenta pereunt.

Quid inde factum eſt? cura luis venereae per salivationem a multis aegris, atque medicis, chirurgisque non tantum eius moleſtias periculumque, sed nimis incertam efficaciam agnoscentibus, praeterito et hoc quo vivimus praesertim, saeculo, reiecta fuit; eiusque loco decocta lignorum guaiaci, sassafras, sarsaeparillae, radicis chinae in usum vocabantur, datis per intervalla aliquot dosibus mercurii dulcis, panaceae mercurialis &c. vel levibus tantum inunctionibus mercurialibus adhibitis.

Haec omnia, quamvis diu usurpata, morbum non integre debellant; sed mitiorem tantum ad aliquod tempus faciunt. Cum hac methodo diutissime in usu modo dictorum remedio-

rum

rum pergere debeant aegri, domi ſemper retineri non poſſunt, et difficile convenientem diaetam obſervant. Si corpus talibus remediis magis perſpirabile redditum, dum negotia ſua peragunt aegri, aura frigidiore perflatur, febres oriuntur anomalae, rheumaticae, tuſſes, phthiſes, variique morbi ab hac cauſa, et a retento in humoribus mercurio pendentes, quos virus venereum nondum ſubactum pertinaciores, perículoſioreſque facit.

Circa annum huius ſaeculi quadrageſimum quintum amicus meus illuſtris Sanches, tunc in aula Petropolitana Archiater, quaerebat a chirurgo, et pharmacopoeo, qui ex Siberia Petropolin venerant, an lues venerea in Siberia vulgaris eſſet; ab illiſque didicit et morbi frequentiam, et methodum, qua iſtius regionis aliqui incolae ipſum curabant: ſpiritum nempe frumenti, quem latine crematum in Ruſſia vocant, cuique plebs in toto hoc imperio valde aſſueta eſt, adhibebant; in huius libra una aliquot

grana mercurii sublimati corrosivi solvebant; cochleare unum vel alterum huius spiritus medicati sumebant, balneum vaporum, in Russia ubique vulgare, intrantes, ubi per horam ac ultra sudabant. Hoc quotidie iterabant, donec sani evaderent (*a*). Petropoli experimenta inſtituit celeberrimus Sanches, et cum bonos inde viderit effectus, totam hanc methodum cum illuſtriss. Swietenio communicavit (*b*). Magnus hic vir, ad artis medicae gloriam natus, qui usum frictionum mercurialium, ut ipse mihi saepe dixit, ob mala, quae olim inde nata viderat, reformidabat, ambabus manibus methodum adeo facilem ample-

(*a*) Illustriss. Sanches, ex cuius ore haec habeo, mihi simul dixit se credere malum venereum, et methodum hanc ipsum curandi primum in Siberiam allatam fuisse a Suecis in praelio apud Pultavam anno 1709. captis, et a Petro I. Russorum Imperatore in Siberiam missis, inter quos chirurgi et pharmacopoei numerabantur.

(*b*) Vide van Swieten comment. in aphorism. Boerhaav. ad §. 1477. tom. v. pag. 550.

pleхus eſt, nempe usum spiritus frumenti, in cuius libra solvebantur gran. vj. mercurii sublimati corrosivi; suasitque aliquot medicis, qui nosocomiorum Viennensium curam gerebant, ut illius mane et vesperi cochleare unum aegris lue venerea laborantibus darent, et decoctum hordei cum lacte magna copia propinarent. Contentum in spiritu remedium illis non detexit, usque dum ipsimet retulissent se aegros hoc medicamento sanasse (a). Divulgatum tunc fuit remedium, et per totam Europam sub nomine medicamenti Swieteniani cognitum, etsi illuſtriss. iſte Vir, veri amator, mihi, aliisque narraverit, atque deinde in tom. V. suorum commentariorum publice profeſsus sit, sed illud ab archiatro Sanches accepisse.

Variam fortunam hoc remedium habuit in variis regionibus, et apud diversos medicos. Apud noſtrates, et in Anglia ad coelum usque elatum eſt, in Gallia et Italia ab aliquibus laudatum, ab aliis reprobatum. F 4 Dum

(a) Hoc ab ipso Swietenio accepi.

Dum Moscuae degebam ab anno 1767. ad 1773. plebem et incolas ipso uti, tanquam remedio inquilino, non audivi; medici quidam extranei ipsum, ceu approbatum et usuale in Germania medicamentum, adhibebant. Prae reliquis omnibus methodis curativis maximum iſta commodum habet, quod nec salivationem facile excitet, nec sudores multum moveat, cum ipsorum loco urinam pellat, alvumque liberam plerumque servet: unde aegri non adeo facile ab iniuriis aeris liberi afficiuntur; et obeundo negotia sua turpem morbum celare possunt.

At dolendum maxime eſt sublimatum corrosivum in spiritu frumenti, methodo relata, adhibitum, non tutum semper esse remedium; sed debilibus, irritabilibus plerumque intolerabile, ob irritationes nervorum ventriculi, inteſtinorum, totiusque corporis, quas in iſtis creat; adeo ut non pauci poſt similem luis venereae curam in varios affectus nervosos, diarrhaeas, phthisin inci-

incidant (*a*). Dolendum quoque, quod hoc remedium luem confirmatam, ad oſsa usque penetrantem, non semper sanet, quamquam diutiſsime usurpatum; sed saepe symptomata quaedam debellet, alia mitiora reddat, luem ipsam mitigatam in humoribus relinquens, quae poſt aliquod tempus novam tragoediam ludere incipit, vel sub larva morborum chronicorum miseros per longam annorum seriem excruciat.

Illa, quae nunc de usu solutionis mercurii sublimati corrosivi in spiritu frumenti retuli, nulla praeconcepta opinio dictavit, sed solus veri amor mihi expreſsit, qui cordi firmiter inhaerens, me persuasum facit, medicum, qui veritatem hominibus utilem tacet, aut noxium praeiudicium eradicare non sata-

(*a*) Confer. Le Begue de Presle Memoire pour servir a l'histoire du Mercure sublimé corrosif principalement dans les maladies vénériennes, a la Haye 1763. 8. et Iohann Alexander Brambilla, chirurgisch-praktische Abhandlung von der Phlegmone und Ausgangen, Wien 1775. tom. II. part. II. cap. IV. pag. 367. seq.

satagit, laesae humanitatis criminis sontem esse. Nullam credo dari scientiam, in qua tantum, ac in medicina, de genere humano mereri vir probus possit, veramque sic felicitatem attingere, ſi aliqua tantum ex parte minuat pondus ac numerum calamitatum, quae miseros mortales premunt.

Quodcunque in noſtra arte verum utileque hominibus credo, scripsi, scribamque in poſterum. Si nova observata me errasse evincunt, errorem meum fatebor, novasque veritates amplectar.

Silentio praetereo fumigationes mercuriales, aliquando ad curam luis adhibitas, et paulo poſt merito reiectas; praetereo similiter, ceu medicamentum minime tutum solutionem mercurii sublimati corrosivi in aqua deſtillata simplici mediante salis ammoniaci parva quantitate, syrupo edulcoratam; tandemque pilulas iſtas, Hoffmannianas ab inventore dictas et ante 10. annos promulgatas, quae conſtant mica panis imbuta aqua, in qua mercurius sublimatus corrosivus solutus fuit:

de-

decem pilulae granum mercurii corroſivi continent.

Tanta vidi ab iſtis pilulis orta ventriculi, et inteſtinorum tormina, tot hypercatharses, ut omnes obsecrem medicos ipsarum usum, tanquam periculosiſſimum, reiicere.

Methodum et remedium nunc proferam ad morbum venereum sanandum tutiſſima, simulque experientia viginti quatuor annorum in maximo aegrorum numero confirmata. Cumque mihi animus non sit integrum tractatum de hoc morbo scribere, qui adeo vulgaris eſt, ut non solum medicis, et chirurgis, sed et aliis quoque notus sit, nihil de eius diagnosi, et variis symptomatibus dicam, quae omnia lucide in opere cl. Aſtruc descripta reperiuntur; unice tantum addam, dissertationes. Cel. Sanches de origine luis venereae Gallice annis 1750. et 1774. editas (*a*) probabi-

---

(*a*) Dissertation sur l'origine de la maladie vénérienne a Paris 1750. et: Examen historique sur l'apparition de la maladie vénérienne en Europe,

babilissima argumenta continere, quibus luis origo non ex America, sed ab epidemico, in Italia circa idem tempus, quo Chriſtophorus Columbus Americam detexit, orto deducenda eſt. Morbi olim observati fuerunt, ut elephantiasis, qui apud nos non amplius reperiuntur; novique orti sunt, ut rachitis, febris miliaris &c. antiquis ignoti. In relationibus eorum, qui novas terras ab aliquot saeculis detexerunt, nunquam legi ipsos luem veneream usquam gentium ad primum suum adventum invenisse, sed eam fere semper poſt aliquam Europaeorum moram incolas afflixisse, admiratione et terrore per-

---

rope, et sur la nature de cette épidémie, a Lisbonne 1774. Cum iam manuscriptum meum ad typographum mittere vellem, accepi Clariss. Hensler opus eruditissimum Germanice scriptum, et nuperrime Altonae editum, sub titulo Dr. Phil. Gabr. Henslers, Konigl. Danischen Archiaters Geschichte der Lustfeuche, die zu Ende des funfsehnten Jahrhunderts in Europa ausbrach. Erster Band, Altona 1783. 8vo. In hoc opere quoque ex scriptis primorum auctorum, qui de lue venerea egerunt, demonstratur illam paulo ante detectam Americam in Europa apparuisse.

percitos, dum videbant homines novos tantas artes, virtuteſque, vitia et morbos afferentes.

Facilis et tutiſsima luis venereae curatio.

Methodus mea luem veneream curandi, haec eſt: Quando plethora adeſt, ante usum mercurii venam secari curo semel vel bis iuxta necessitatem; si nulla, a venae sectione abſtineo. Si saburra in primis viis haeret, remedio alvum laxante opus eſt. Qui cutem rigidam, asperam, siccam, minus perspirabilem habent, balneis aquae tepidae per hebdomadem unam vel alteram uti debent; pro illis, qui facile perspirant, haec omitti possunt.

Per totum curationis tempus iubeo aegrum abſtinere a cibis difficilis digeſtionis, a carnibus salsis, fumo induratis, suillisque; a potibus calefacientibus, et vinis meracioribus; at, si iſtis assueti sunt, nonnunqnam parvam vini, multa aqua temperati, quantitatem ad prandium concedo. Coena sit levis ex iusculo, et oleribus, vel

fru-

fructibus coctis: condimenta acria, vitentur: lac et lacticinia maxime conducunt. Potus ordinarius sit aqua communis. Decoctum sarsaeparillae saturatum praeparatur coquendo radicis huius uncias duas in libris quatuor aquae ad remanentiam librarum duarum; vel pro pauperibus radicis bardanae unciae quatuor in simili quantitate aquae coquuntur. Huius vel illius decocti data quantitas nychthemeri spatio bibatur. Alterno quoque die vesperi ad decubitum aeger sibi crura inungat unguenti mercurialis infra describendi drachmis duabus, ea manibus leviter fricet, donec sicca evadant; spatium quadrantis horae sufficit: tibialia dein induere debet et eadem die nocteque ad quartam frictionem usque servare; septimo die, quo quarta vice unguentum adhibendum eſt, crura aqua tepida cum sapone lavantur, tibialia reiiciuntur, et femoribus frictiones modo et quantitate iisdem, ac cruribus, adhibentur. Femoralia ex linteo confecta (gall. caleçons) continuo servantur usque

que poſt tertiam femorum frictionem; tunc femora lavantur, et unguentum abſtergitur; conſpurcata femoralia exuuntur; ad cruraque denuo redeundum eſt pro tribus frictionibus alternis diebus inſtituendis, ut prius; quibus finitis femora iterum eliguntur. Viginti quatuor vel triginta frictiones confirmatiſſimam luem venereum eradicare ſolent; ad triginta ſex usque perveniri raro neceſſarium vidi. Sub hac cura circa octavam vel decimam frictionem ſyptomata terga dare vulgo incipiunt, et de die in diem omnia in ſanitatem tendunt.

Si ſub uſu frictionum gingivae valde molles fiunt, ſpiritus foetere; glandulae ſubmaxillares, tonſillae tumere, et abundantior ſalivae fluxus obſervari, incipiunt, ſufficit per diem unum alterumve ab illis abſtinere, et remedium alvum ducens ingerere, ut eſt aqua laxativa Viennenſis, aut ſimile infuſum eccoproticum: ad hunc uſum quoque electuarium parari poteſt ex pulpae tamarindorum unc. j. radicis rhei drach.

drach. j. salis polychreſt. drach. ij. syrup. rosar. solutivi q. s., cuius cochleare unum vel alterum ventrem aliquoties solvit. Pro illis, qui alvum duriorem habent, drach. sem. rad. ialappae additur. Eodem utor electuario ad alvum semel omni biduo liberam servandam aegris, quibus illa segnior, tantum quarto quovis quintove die sponte deponi solet.

Tota corporis superficies per vasa sua bibula absorbere valet hydrargyri in unguento mercuriali contenti particulas, easque in massam sanguinis deferre; crura tamen, et femora prae reliquis partibus ob varias causas eligo: quia aeger commodius extremitates inferiores fricare poteſt; homines, cum quibus versatur, unguenti odorem non adeo facile percipiunt; atque tibialia, e femoralia conspurcata cum minori incommodo per sex dies ferri possunt, quam indusium. Necesse enim eſt, ut unguentum non cito abſtergatur, quod pro maxima parte fieret, si iſta quotidie mutarentur.

Con-

Convenit poſt aliquot frictiones mutare loca corporis, quibus unguentum applicatur, alioquin oscula vasorum inhalantium harum partium axungia obſtructa non amplius admitterent globulos mercuriales, nec non papulae, quae in cute materia pingui obducta, naſcuntur, haec obſtacula augerent, et usum frictionum, per aliquot tempus, impedire possent. Non opus eſt, uti olim mos erat, ut omnes corporis partes infra caput vicissim inungantur, quod multum incommodi crearet; sufficit hydrargyrum, cuti in aliqua corporis parte applicatum, per vasa ipsius bibula absorberi, et ad massam sanguinis deferri, cum qua, circulationis ope, per totum corpus diſtribuitur.

Unguentum mercuriale meum sic praeparatur.

℞. hydrargyr. purissimi part. j. axungiae porcinae recentis part. ij. misce, tere in mortario marmoreo per horas octoginta, dein serva usui.

Cum labor diuturnae triturationis difficilis sit, et attentionem requirat,

ne operarius ingratum opus, quod inutile credit, ante praescriptum tempus deserat, aliquot libras simul domi meae praeparari curo.

Si unguentum diu servari debet, vel ad aliquam diſtantiam ferri; butyrum cacao axungiae additur, (ex. gr. unc. j. vel unc. j sem. ad libram axungiae) unde firmiorem conſiſtentiam acquirit.

Ante viginti quatuor annos vir, a quo multa didici, et cuius amicitia me ad ſtudium medicum duxit, illuſtris Sanches, dum aliquando de summis salivationis incommodis, quae in cura luis venereae offendebam, conquerebar, mecum communicabat mercurialis unguenti compositionem, qua salivationem raro excitari asserebat. Conſtabat unguentum ex una parte hydrargyri, duabus axungiae porcinae, et drachma camphorae ad singulas axungiae libras. Haec terebantur simul in mortario marmoreo per 70. vel 80. horas. Hoc unguento cum successu per aliquod tempus usus sum ad curandam

sine

ſine salivatione luem veneream, modo supra relato.

Quod hoc unguentum rariſſime ptyaliſmum excitaret, camphorae tribuebamus, quam interne datam, ſudores movendo, ſalivationem praeſentem coërcere ſcimus.

Poſt aliquot annos accidit, ut delicatulam aegram a lue venerea curandam haberem, quae odorem camphorae ferre non poterat; unguentum mercuriale eodem modo, omiſſa tantum camphora, praeparari curavi. Ad luem in ipſa debellandam viginti frictionibus ex drachmis duabus unguenti opus habebam, nec tamen ſalivatio ſupervenit, unde ſuſpicari incepi, virtutem hanc non a camphora, ſed a longa trituratione pendere, qua forte globuli mercuriales, maxime diviſi, minima vaſa facilius permeant, nullibi ſtagnant, et per cutis ſpiracula, abſoluto ſalutari ſuo opere, facilius eliminantur. An hac theoria phaenomeni cauſam attigerim, nec ne, pro aegrorum ſalute, et commodo nullius momenti eſt; experientia enim viginti et aliquot annorum

me docuit, hoc unguento, hac ipſa ratione adhibito, luem veneream confirmatiſſimam tutius, et certius ſanari, quam antiqua methodo per ſalivationem; ptyaliſmumque nihil ad curam luis conferre, ſed ipſam potius retardare, cum impediat, quominus neceſſaria mercurii quantitas corpori intrudatur, ad eradicandum morbum; et faciat ut introductus hydrargyrus cito os petat, nec ſatis circumvehatur cum humoribus.

Si hominibus, ad ſalivationem idioſyncraſia (*a*) valde diſpoſitis, durante noſtra cura, illa incipiebat, modo iam dicto (*b*) ipſam avertebam: negare enim non poſſum ptyaliſmum in non-

---

(*a*) Viro mihi familiari, qui poſt primum coitum gonorrhaea virulenta laborabat, grana duo mercurii dulcis in bolo praeſcripſi; bolum veſpere ſumſit, altera die ſalivatio ſupervenit, quae poſt 8 dies purgantibus et diaphoreticis adhibitis vix ſiſtebatur: mercurium antea nunquam ſumſerat, et deinde frictiones mercuriales ſine ſalivatione bene tulit.

(*b*) Supra pag. 105.

nonnullis meis aegris quandoque incepiſſe ; sed nec tam cito supervenit ; nec adeo vehemens fuit , ut non potuerit intra paucos dies ſiſti , aut frictionum usus diu suspendi debuerit . At in plerisque nulla salivatio observabatur , etsi alterno quoque die sine intermissione drachmae duae (*a*) unguenti mercurialis noſtri in frictionibus adhiberentur , ad viginti , et viginti quatuor , imo triginta sex vices usque.

Toto curationis tractu caveant aegri , ne perspirationem cohibeant , per quam mercurius officio salutari functus e corpore eliminatur . Haec excretio tunc copiosior suſtentari debet per decocta superius adlata , teporemque aëris ambientis ; nam ab eius suppressione febres , dolores rheumatici , colici , diarrhaeae rebelles facile oriuntur : unde autumno adulto , et hieme aegros sub cura domi retineo ; at vere , et

(*a*) Non raro , quando symptomata urgebant , drachmas tres pro singulis frictionibus dedi .

aeſtate ipsis libero aëre frui concedo, dummodo frigidam nocturnam auram vitent.

Methodo enarrata lues cum variis eius symptomatibus curatur. Adhibui illam ad ulcuscula venerea corrodentia (chancres), ad ophthalmias syphiliticas, ulcera gutturis, palati, narium, aliarumque corporis partium venerea; ad dolores oſteocopos nocturnos, aliis symptomatibus syphiliticis iunctos, variosque ossium affectus ab eadem causa; verbo, diram luem radicitus sanat. Herpetes, reliquosque morbos cutaneos rebelles a lue venerea oriundos, exoſtoses ab hoc fonte, nec non spinam ventosam in infantibns ab hereditaria labe oriundam, citius sanabam, quando sub cura mercuriali loco simplicis decocti sarsaeparillae, decoctum antimoniale adhibebam, sic paratum:

℞. rad. sarsaeparill. unc. ij.
antimonii crudi, in petia ligati unc. sem.

Misce, coque leni igne in aquae communis libr. iv. ad remanentiam libr. ij. colaturam exhibe. So-

Solum hoc decoctum sine mercurio morbum venereum sanare non valet. Credunt tamen aliqui se eo unico lue liberatos fuisse; cum symptomata venerea, quae mercurius interne vel externe prius adhibitus, non debellaverat, sub usu decocti antimonialis profligata fuerint. In similibus casibus mercurius, vel ob malum ipsum adhibendi modum, vel ob debilem aegri conſtitutionem, aut ob errores in nonnaturalibus, in corpore iners mansit; et decocto actuosus ſit viresque suas exerit.

Bubones.

Bubones soli, sine aliis symptomatibus venereis, suppuratione curantur; interim pilulae mercuriales infra describendae usurpentur, ne aliquid venerei in corpore remaneat. Si alia simul adsunt symptomata luem confirmatam arguentia, quando bubones per resolutionem sanandi sunt, cura ipsius luis adhibenda eſt, sicut in gonorrhoea cum lue coniuncta.

Gonorrhoea virulenta.

Simplex gonorrhoea virulenta tria habet ſtadia, in quibus varias medelas requirit. In primo, inflammatorio nempe, in quo dolores mingendo urentes adsunt, erectiones cum dolore, membro quandoque ad apicem parumper incurvato, et frenulo inflammato, ut in gonorrhoea chordata accidit; methodus antiphlogiſtica in usum vocari debet. Venaesectiones in brachiis iuxta necessitatem repetendae; praescribantur emulsiones, decocta emollientia ex radice althaeae, foliis malvae cum syrupo nymphaeae, aut althaeae; quibus, si ſtranguria frequens non prohibet, nitri parva quantitas additur.

Purgantia eccoprotica, ex cassia, manna, pulpa tamarindorum cum foliis sennae, et parva dosi salis mirabilis glauberi quandoque danda sunt. Statum inflammatorium sequitur secundus, in quo materia tenacior flava ex urethra ſtillat, mictus non adeo frequens eſt, et fere sine dolore, erectiones rariores, dolorisque expertes sunt, et

mem-

membrum recte extenditur. Urethra, quae in priori ſtadio rigida tensaque erat, nunc flaccidior facta, in uno vel altero tantum loco in extremitate aut in medio ad glandulam Cowperianam, vel in peiori specie, in proſtrata, ad tactum dolet. Soleo tunc usum decocti radicis althaeae aut malvae continuare, et pilulas praescribere ex mercurio vivo cum gummi arabico methodo Plenckiana subacto, quarum aeger, vesperi lectum petens, quantitatem sumit, quae mercurii gran. v. ad decem usque continet; et cum hisce medicamentis, atque electuario laxante identidem alvum movendo, diaetaque convenienti pergo, usque dum materiae color albidior, et quantitas minor evaserit, urethraque in ſtatu fere naturali sit. In ultimo gonorrhoeae ſtadio materia albicans ad aliquot guttas de die, praesertim mane, poſt mictum ſtillat; pruritum potius quam dolorem aeger mingendo percipit. Balsamica in hoc ſtatu praescribantur, inter quae primum locum obtinet terebinthina vene-

ta, mucilagine gummi arabici ſubacta, et cum pulvere rad. liquiritiae in pilulas redacta. Si ſtillicidium iſtis non cedit, aqua ſpadana cum lacte utor. Eodem modo gonorrhoea in mulieribus, apud quas minus incommodi, et doloris creat, ſed magis rebellis eſt, ſanatur. Si gonorrhoea, victu calefaciente, medicamentis calidis vel adſtringentibus, aliave cauſa ſupprimitur, antequam materia correcta fuerit, teſticuli alterutrius tumor cum annexorum vaſorum ſpermaticorum varicibus, bubones, aut ophthalmia gonorrhoïca, aliave mala, ſuperveniunt.

Tumor testiculi venereus.

Tumor teſticuli venereus dolens, quietem corporis, ſitumque ſupinum in lecto, nec non venae ſectiones, emulſiones, enemata emollientia requirit. Cataplaſma ex farina fabarum cum oxycrato cocta, die nocteque tepide ſcroto applicatum, optimos effectus praeſtat. In his pergendum eſt, donec dolor evanuerit, teſticulus mollior factus, et vaſa ſpermatica minus tumida ſint, atque ex urethra guttae aliquot materiae

riae gonorrhoïcae prodeant. Morbus tunc iterum ut gonorrhoea tractandus eſt, niſi quod ſcroto emplaſtrum de ranis cum mercurio et leves iniunctiones mercuriales applicandae ſint; atque teſticuli ſuſpenſorio ſuſtineri debeant.

Ophthalmia gonorrhoïca.

Ophthalmia gonorrhoïca, ſive a metaſtaſi materiae gonorrhoïcae ad oculum orta, venae ſectionibus methodoque antiphlogiſtica, enematibus, purgantibus, primum mitigari debet. Cataplaſmata ex pomis aſſatis vel coctis, cum mica panis albi et croco, die nocteque applicata, maxime conducunt, nec non, urgente neceſſitate, veſicantia retro aures vel ad nucham. Sed medicus oleum et operam perdit, niſi ſimul mercurialia adhibeat: ut ſunt pilulae ſupra memoratae, vel mercurius dulcis, aut ipſae frictiones mercuriales. Decocta emollientia interim affatim bibat aeger, ut gonorrhoïcae materiae fluxus per urethram revocetur: hoc enim redeunte, ophthalmia ſanatur.

Ca-

Caſus ophthalmiae venereae inoculatione quaſi productae.

Antequam huic capiti finem imponam, non poſſum quin hiſtoriam morbi referam, qui mihi Pariſiis anno 1758. occurrit. Medicinae ſtudioſus 20. annos natus 12.ma die poſt primum coitum cum meretrice ſtillicidium ex urethra obſervat; cum nec dolorem ſentiret, nec colorem videret in materia, quos in gonorrhoea virulenta ab ipſo principio adeſſe debere credebat; benignum eſſe fluxum arbitratus eſt, et ut eo certior fieret ex animi inquietudine ſequens experimentum inſtituit. Cum audiviſſet in phyſiologicis ſemen humanum ſanum adeo blandum eſſe, ut oculo immiſſum nullam irritationem creet, materiae ex urethra ſtillantis guttulam oculo dextro verſus canthum internum inſtillabat. Tertia die ophthalmia oriebatur cum ſummo puritu, et tumore tunicae adnatae oculi dextri, qui ſenſim creſcens verum ectropium formabat. Dolores intolerabiles fiebant: oculus inflammatus ſub

tu-

tumente coniunctiva et inverſis palpebris profunde iacebat. Gonorrhoea virulenta interim aucta ſtranguriaque, ſtillicidium humoris flavo-viridescentis, inflammatio urethrae et frenuli, ac urinae ardor, nullum de natura mali dubium amplius relinquebant. Similis humor ex oculo continuo cum summo ardore ſtillans, aegrum idem malum tunicae adnatae per inſitionem communicaſſe arguebat.

Auxilium meum tunc petiit aeger. Methodo antiphlogiſtica, venae ſectione nempe, emulſionibus, decoctis emollientibus, laxantibus, eo pervenire potui, ut ſpatio aliquot dierum symptomata inflammatoria, tam gonorrhoeae, quam ophthalmiae, mitigarentur. Oculo continuo cataplasmata emollientia, pomaque aſſata imponebantur, quae levamen aliquod afferebant.

Tunica adnata, tumens ſuppuransque, pus flavum, et viride continuo plorabat, adeo acre, ut timerem, ne cum illa, cornea quoque corroderetur. Inflammatione itaque mitigata ad mercuria-

curialia confugiebam; mercurium dulcem ad aliquot grana quotidie sumebat, pergendo interim cum reliquis medicamentis; et laxans saepe interponebatur. Hisce parumper melius se habere incepit aeger, levatis nempe tam gonorrhoea, quam ophthalmia. Cum tamen periculum adhuc esset, ne, si malum diu perſtaret, simul cum adnata, tunica sclerotica quoque a materia acri syphilitica corroderetur, frictiones mercuriales adhibendas esse arbitratus sum. Frictionibus mercurialibus aliquot, methodo supra relata inſtitutis, ophthalmia minuebatur, materiae ex oculo ſtillantis natura, et color mutabantur: tumoreque tunicae coniunctivae imminuto, oculus vix dolens lumen ferre poterat; gonorrhoea similiter in melius tendebat. Pergebamus in usu frictionum omni biduo ad drach. ij. decocti sarsaeparillae, et lenium quandoque purgantium, usque dum spatio duorum mensium ophthalmia in integrum sanata fuerit, et gonorrhoea eo devenerit, ut guttula una vel al-

tera-

tera tantum de die muci albidi ex urethra exprimeretur; quod quidem facile tunc balsamo copaivae cessit. Mihi diu poſtea adhuc notus iſte vir nullam ophthalmiae recidivam passus eſt, etsi octo ab hoc morbo elapsis annis, gonorrhoea virulentissima iterum laboraverit. Similis fere casus a Cel. Aſtruc sic refertur (*a*): „ Adolescens quidam „ dudum consueverat singulo mane oculos abſtergere urina sua calente, ut „ oculorum firmaret aciem. Poſt contractam ex infortunio gonorrhoeam „ virulentam a consueto usu minime „ abſtinuit, nihil mali sibi inde metuens. Urina tamen virulento miasmate inquinata labem eandem cum „ coniunctiva et palpebris cito communicavit, qua genitalium interiora „ affecta erant; unde ophthalmia gravis „ et venerea, cum acri et involuntario lacrymarum et lippitudinis flu-

„ xu,

(*a*) De morbis venereis Lutetiae Parisiorum 1740. in 4.to tom. 1. pag. 295.

„ xu, quae ambo iisdem remediis tandem perfecte curata fuerunt, quibus ipsa gonorrhoea. „

CAPUT II.

De Scorbuto.

Ut sanitas multorum hominum eodem modo viventium, alimentisque vescentium, quae bonum corporis habitum lente deſtruunt, conservetur, et praecaveantur mala, quibus experientia ipsos ex hoc fonte obnoxios esse demonſtravit; remedium prophylacticum non in medicamentis; sed in nutrimenti correctione inquirendum eſt.

Hoc posito, alimentis sale conditis, quibus nautae utuntur, cum praecipuam scorbuti causam conſtituant. qui naves in longis itineribus hominibus ad ipsas dirigendas necessariis saepissime orbat, alia oppositae naturae, diu-

diuque in mari servanda, iungenda esse iampridem arbitrabar.

Carnes sale conditae difficile digeruntur; et notum eſt alimenta, quae per vires noſtras digeſtivas in bonum chylum reduci non possunt, in primis viis mutationes subire ipsis proprias, dum calori et humiditati exposita sunt; unde chylus a carnibus sale conditis productus indolis animalis in putredinem tendentis omnino eſt.

Quando talis chylus sanguini miscetur, dispositionem, quam humores noſtri iam per se habent, auget, sicque sensim illam lentam degenerationem putridam inducit, quam scorbutum appellamus, cuius unicam tantum speciem, variis gradibus diſtinctam, dari persuasum habeo.

Scorbutum terrae et maris unum eundemque morbum esse credo, similibus causis productum: quales sunt carnes et pisces salsi, defectus vegetabilium, habitationes humidae &c. Ad hanc itaque humorum degenerationem praecavendam alimenta requiruntur na-

turae antisepticae, quae diu conservari possint, et a continuis locorum coelique mutationibus non corrumpantur. Qualitates iſtas in brassica fermentata, quae per totam Germaniam in frequenti usu eſt, reperiri credidi: illi, etsi non omni palato primum placeat, omnes facile assuescunt, eamque gratum ac vere nutriens alimentum reperiunt; nautas praesertim in deliciis ipsam habituros arbitrabar, quando aliis carerent leguminibus. Ante septemdecim annos de hac re saepe sermonem habui cum D. D. Langlois et Preſton, viris praeſtantissimis Anglis, in officio apud legatum Regis magnae Britanniae Vice-Comitem Stormont conſtitutis. Proponebam ipsis, ut experimenta inſtituerentur brassicam fermentatam navibus vehendo, ad classiariorum alimenti partem conſtituendam.

In ephemeridibus publicis et peregrinatorum relationibus ab aliquot annis cum gaudio inveni, haec experimenta optimum habuisse successum; brassicaeque fermentatae usui sanitatem

nau-

nautarum et classiariorum, qui nuper navibus circum terrae orbem vecti sunt, magna ex parte adscribendam esse.

Conservatio huius generis hominum maximi momenti eſt pro pluribus gentibus; illamque quisquis promovet, de genere humano bene meretur. Hunc in scopum nova quaedam patefaciam, quae prioribus iuncta, ad tuendos homines a scorbuto, ad ipsius progressus ſiſtendos, eumque citius atque tutius sanandum, conferent: ea quoque in alimentis reperi; vegetabilia nempe varii generis, cruda, et ut ex terrae visceribus recipiuntur, comedenda.

Legumina quae noſtris mensis imponuntur in ſtatu crudo multo magis antiscorbutica esse, quam dum coctione in aqua (*a*); vel alio quocunque modo, vim ignis passa sunt, ab experientia persuasissimum mihi eſt. Observata itaque primum referam. Dum Moscuae degebam, mirabar, quod mul-

(*a*) Ratio forte in eo haeret, quod per ebullitionem multum sui aëris fixi perdant.

tos nobiles, mercatores, extraneos, ſcorbuto lento affectos reperirem quorum gingivae molles, tumentes, lividae, halitusque foetens, et crura maculis ſcorbuticis variegata erant; atque rariſſime inter plebem, civitatem et pagos habitantem, ſimilia ſymptomata obſervarem.

Priorum alimenta praecipue conſtant ex magna carnium piſciumque tam recentium, quam ſale conditorum, copia: nulla fere legumina, praeter braſſicam fermentatam in iuſculo maceratam (*ſchſti* vocant), quae identidem menſae imponitur, comedunt. Pro potu communi liquorem fermentatum ex ſecali, quem *kuas* nominant, bibunt; et praeter hunc, vinum, cereviſiam vulgarem, anglicanamque, nec non, ſalem ante prandium et coenam, parvum vaſculum ſpiritus vini. Parum panis edunt.

Braſſica acida Ruſſorum in hoc tantum a Germanorum *ſauerkraut* differt, quod illi ante fermentationem braſſicae capita minutim ſcindant, dum

hi

hi ea transversim in fasciolas tantum secant.

Praecipuum alimentum, quo plebs toto anno vescitur, eſt brassica iſta fermentata, et cocta in aqua cum carne salsa et butyro: diebus abſtinentiae, qui simul numerati tertiam totius anni partem conſtituunt, butyro oleum lini graveolens, atque carni salsae pisces sale conditi, vel siccati subſtituuntur. Huic ferculo, *schsti* dicto, farina fagopyri aliave additur; cucumeres, recentes aeſtate, hieme vero sale conditos, divites pauperesque manducant; magnam panis secalini copiam hi quoque comedunt. Plebecula in parvis aedibus ligneis habitat; diu noctuque maxima anni parte, tempeſtate frigida, hominibus refertis: cubicula humilia, minimis feneſtris inſtructa, aërem humidum et impurum continent.

Balneum vaporosum, ut nobiles et mercatores, sic quoque infimae sortis homines semel saltem singulis septimanis intrant, squalori caeteroquin assueti.

En multiplices causas, excepto frequentiori et liberiori brasicae fermentatae et panis usu, cur plebs magis quam nobiles et ditiores scorbuto infici deberet: fere quotidie carnes et pisces sale conditi in alimento, (recentes equidem non tanti faciunt) abusus spiritus frumenti, sordes, aer inclusus humidusque cubiculorum, atque multo rarior indusiorum et veſtium mutatio.

Dum per aliquot annos haec observarem et inquirerem, quidnam praecipue plebem defenderet a scorbuto, qui ipsam prae reliquis afficere deberet; mihi videbatur praeter usum continuum brassicae acidae, potentissimas vires prophylacticas adversus scorbutum possidentis, iſtud beneficium adscribi debere cepis, poris, raphano, rapis, napis, pisis una cum siliquis &c. quae omnia cruda hoc hominum genus comedit. Baccae vaccinii, baccae oxycoccii prioribus similes, valde acidae, cerasum parvum magnitudine aequantes, quas *klukua* vocant, cum pomis,

fra-

fragis et rubo idaeo, soli fere fructus iſtius regionis sunt.

Inter infantes orphanotrophii Moscuensis, cuius physicus eram, multos scorbuticos quotannis hieme, et vere curandos habebam. Domus haec exſtructa eſt ad confluentem duorum fluminum in loco olim paludoso, magnis sumptibus nunc elevato; in quo ad annum usque 1770. hinc inde aquae ſtagnantes reperiebantur: at orphanorum pars tantum hunc locum tunc incolebat, reliqui in domo lapidea, in vicinia et altiori situ posita, habitabant.

Vulgaria scorbuti symptomata apud iſtos infantes erant: gingivarum tumor, foetor oris, debilitas, lassitudo, cachexia et plumbeus faciei color: gingivae sensim magis tumebant, et lividae fiebant, puſtulaeque in ore oriebantur, spiritus horrendum odorem spargebat; gingivae totumque os internum gangraena afficiebantur; ossa maxillarum cariosa fiebant; dentes eum alveolorum parietibus cadebant. Vix se movere

poterant aegri, quamquam semper apyreti essent, nec appetitus ipsis deficeret. Nonnullis ab initio maculae scorbuticae, et cruſtae lamelloſae crura obsidebant; apud alios tantum provecto iam morbo observabantur. Plurimi pedes, et crura tumida habebant. Aliquorum tendines flexores crurum rigidi et breviores fiebant, adeo ut continuo iacere cogerentur, cruribus ad femora retrotractis. Idem brachiis accidere bis vidi.

Gangraena gingivarum aliorumque oris partium, atque caries ossium sensim eo deveniebant, ut alveolorum parietes et partes spongiosae ossium maxillae superioris caderent. Malum hoc lente serpit; hebdomades duae ultraque nonnunquam elabebantur a gangraenae carieique initio, nec non aliquot menses ab ipso priorum symptomatum ortu, antequam morbus ad ſtatum mox descriptum perveniret. Sufficientem tamen alimentorum quantitatem adhuc sumebant, et multo maiorem quam, respectu ad morbum habito, quisquam

ima-

imaginari potuiſſet. At diu ſic vivere impoſſibile erat, morſque tandem tot malis finem imponebat. Nullum clamorem doloribus expreſſum audire, ſaepe miratus ſum; voce tantum languida continuo fere gemebant.

Quando morbus altas nondum egerat radices in parte ſpongioſa oſſium maxillae ſuperioris, methodo curativa, quam adhibebam, maxima aegrorum pars ut plurimum ſanabatur.

Diaeta vegetabili incipiebam, quae praecipue conſtabat ex oleribus in tenui iuſculo coctis; haec erant: braſſica fermentata, daucus, paſtinaca, napus, cepae, ſpinachia, mollia urticae folia, et acetoſa. Infantes natu maiores cereviſiam acidulam *Kuas* dictam, parvuli (*a*) meram aquam bibebant. Verno tempore omnibus ſcorbuticis ſolebam praeſcribere ſerum lactis, in quo plantae antiſcorbuticae, ut cochlearia, naſturtium aquaticum, beccabunga, aceto-

(*a*) Nunquam vidi infantem ante ſecundum aetatis annum ſcorbuto vero affectum.

tosa infusae fuerant; huius medicamenti, saccharo vel syrupo quodam edulcorati, vascula aliquot (dosi aetati accommodata) quotidie matutinis horis sumebant. Gargarismate saepe de die utebantur ex infuso aquoso foliorum rutae, salviae, agrimoniae, cui guttae aliquot spiritus cochleariae et mel rosarum addita fuerant.

Quam primum gangraenam in ore observabam, praeter remedia modo dicta decoctum saturatum corticis peruviani praescribebam; atque idem decoctum gargarismati addebatur. Partes gangraenosae melle rosarum, additis aliquot guttis spiritus salis, penicilli ope tangebantur. Primis tribus annis adeo bonos effectus haec methodus praeſtiterat, ut omnes fere aegri, adulti infantesque, malo nondum provecto affecti, spatio trium hebdomadum aut mensis, plerumque sanarentur. Hieme et vere scorbutus maxime saeviebat.

Autumno anni 1770. omnes orphanotrophii infantes (parvulis fere omnibus exceptis, qui ruri lactabantur)

tur) mille numero ſuperantes partem domus lapideae ante annum exſtructam me invito habitare inceperunt. In hac regione, ubi aeſtas adeo brevis eſt, muri lateribus conſtructi difficile ſiccantur; praetereaque domus iſta in loco ſita erat, qui ante paucos annos palus fuerat. Tota hieme cubiculorum humiditas, licet multa variaque ad illam corrigendam adhibita fuiſſent, manifeſte percipiebatur.

Scorbutus cito incepit, pluresque quam praeteritis annis affecit; nec non graviſſima ſymptomata frequentius occurrebant: apud plures puſtulae gangraenoſae in ore obſervabantur; nonnulli oſſa maxillae ſuperioris carie affecta habuerunt; in aliis membra, crura praeſertim, rigida et retrotracta viſa ſunt.

Domus lignea, quae olim ſcorbuticorum noſocomium fuerat, in eundem uſum nunc quoque ceſſit; eademque alimenta et remedia ac praeteritis annis, his aegris porrecta ſunt. At adeo pertinax morbus erat, ut quodcunque adhibuerim, vix morbi progreſ-

gressum lentiorem facere possem.

Cum circa mensem Maium observarem praecedentem methodum non sufficere ad morbum magis nunc rebellem sanandum, de variis aliis remediis cogitavi.

Observationes, quas supra retuli de diaeta plebis Russicae, me induxerunt infantibus aegris olera, quae prius cocta comedebant, cruda manducanda dare. Rapas, napos, daucos, cepas teneras, mane ut poma edebant; in prandio praeter iusculum cum pane, et legumina, acetaria seu olera aceto et parva olei quantitate condita habebant; tempore pomeridiano eadem ac mane; et ad coenam olera cocta, atque acetaria ipsis porrigebantur. In usu remediorum prius adhibitorum pergebant. Elapsis aliquot diebus symptomata levari, atque aegri, qui periculosius iacebant, et diu languescebant, melius se habere inceperunt. Qui vero leviter aegrotabant, cito sanitatem recuperarunt; adeo ut poſt mensem, praeter eos, qui pessime affecti fuerant et

tunc convalescebant, nullus scorbuticus remaneret. Notabilis morbi remissio apud omnes hos aegros observata fuerat, ubi per aliquot dies olera cruda, ederant. Nondum tunc medicorum, et chirurgorum Anglorum observationes legeram de infuso hordei ad conficiendam cerevisiam praeparati (*malt* vocant) adversus scorbutum, alioquin ipso quoque usus fuiſſem. Ruſſorum potus vulgaris, *Kuas* dictus, huic infuso fere similis eſt, nisi quod ipsum non bibant dum adhuc ſermentat; eſt enim cerevisia tenuis acida, cui, loco lupuli, mentha sylveſtris infusa eſt.

Eadem curandi ratio bene succeſſit vere annorum 1772. et 1773. quibus anni tempeſtatibus infantes scorbuto affectos cum iisdem symptomatibus in meo nosocomio curandos habui, numerus tamen horum aegrorum non tantus tunc fuit ac anno 1771. quo ad 60. usque numerabantur: domus enim lapidea, siccior facta, sanior evaserat, solumque olim paludosum magis

gis completum et aequatum fuerat.

Vegetabilia recentia pro classiariis navibus ferre non suadeo; ut enim per aliquod tempus bona remaneant, in arena sicca servari debent, quod pro tanta copia difficillimum, imo impossibile foret. Praeter brassicam fermentatam, ut prophylacticum remedium, an non radices quaedam recentes, e. g. raphanus, daucus, napus, cepa, quantum cuiusque navis magnitudo sinit, sic in loco, ad quem aqua non penetraret, in arena servari possent, ad usum eorum, quos brassica fermentata a scorbuto omnino praeservare non posset? Vegetabilibus iſtis, atque infuso cerevisiato (*malt infusion* Anglor.) aegros hosce facillime sanandos fore exiſtimo.

Si vero quoad naves hoc impossibile foret, tamen ex relatis observationibus facile liquet classiarios scorbuto affectos, e navibus in terram descendentes, citius sanitatem recuperaturos esse, si olera, quae reperiuntur, ipsis cruda porrigantur; quod

qui-

quidem, praeter certiorem sanationem hoc quoque commodum afferet, naves non tamdiu ad reficiendos scorbuticos morari debere.

Haud difficile erit aegris perſuadere, ut olera cruda comedant; natura enim, qua certiorem ducem quoad noſtram conſervationem ſequi non poſſumus, ad id feruntur. Ipſorum ventriculum ea bene ferre obſervavi.

In Auſtria aliisque Germaniae partibus rapa fermentata plebi in alimentum cedit; praeparatur ut braſſica fermentata: minutim ſciſſa, ſale aſperſa fermentationem ſubit. Hieme, imo toto anno, in doliis ſervatur. Cibum hunc propono diaetae antiſcorbuticae et prophylacticae addendum; eundem fere cum braſſica fermentata guſtum habet, eaſdemque virtutes poſſidere mihi videtur. Si in hac opinione non fallor, hoc additamentum diverſitatem quandam in alimentis afferet, quod in longo itinere non parvi momenti eſt.

PARS

PARS IV.

VARIA.

CAPUT I.

Hemiplegia Electricitate Sanata.

Vir Illuſtr. 40. annos natus, ſine Auguſti anni 1767. Moscuae apoplexia sanguinea corripiebatur: secundo morbi die, ab Imperatrice Catharina II. missus, illum adivi, reperiebamque duos medicos aegri curam gerentes. Obesus erat, plethoricus, vorax, vitam sedentariam agens. Ante meum adventum sanguis aliquoties missus, et enemata iniecta fuerant, Iacebat aeger om-

omnium inscius, facie torva, respiratione sublimi, ſtertorosa, pulsu tardo, plenoque; verba quaedam inarticulata quandoque proferebat, neminem agnoscebat. Sanguinem adhuc mittere iussimus; vesicantia suris, et inter scapulas applicata sunt; enemataque purgantia ano iniecta. Evacuatis primis viis tam per clysmata, quam purgantia ore assumta, mentis compos fieri incepit, et loqui, licet difficile intelligeretur. Solvebatur sensim apoplexia; sed hemiplegia completa remanebat totius lateris siniſtri, a capitis vertice ad pollicem pedis, oculus siniſter, os et lingua in partem dextram trahebantur; sensus in latere siniſtro adeo abolitus erat, ut quarta die morbi interrogaret qualis pes frigidus ipsius abdomini incumberet, et dum respondebamus eius brachium siniſtrum esse, illud altera manu sublevaret, et tanquam lignum protruderet. Poſt aliquot hebdomades (tres, ni fallor) nihil praeter hemiplegiam a priori morbo remanebat, tuncque suasi, ut ele-

ctricitatis effectus in hoc casu tentarentur. Admota machina, ab initio quotidie semel, dein bis, levissimis ictibus electricis omnes musculi lateris siniſtri movebantur a collo ad pedes usque. Primis diebus nihil sentiebat, poſtea vero dolores ad singulos ictus (potius motus vocandos) querebatur; sensus et motus totius lateris sensim sensimque rediit; tunc rheda vehi ipsum iussimus, et semel tantum de die machinae admovebatur. Haec per tres menses continuavimus. Circa anni finem solus et sine baculo ambulare poterat, pedem siniſtrum parumper tantum trahens; et initio anni 1768. antequam Aula Petropolin proficisceretur, Imperatricem adivit, ipsi valedicturus. Vere eiusdem anni vix debilitas in ulla lateris siniſtri parte remanebat. Aeger tunc profectus eſt, nec illum amplius vidi, sed bene habere audivi. Anno 1769. in regiones exteras cum uxore iter suscepit, et Aquisgrani apoplexia mortuus eſt.

CA-

CAPUT II.

Incipiens Amauroſis oculi dextri a tumore glanduloſo in collo.

Virgo 19. annorum temperamenti admodum ſanguinei, hieme febrem catarrhalem inflammatoriam paſſa erat, quae tribus venae ſectionibus ceſſerat; paulo poſt, vere anni 1779. incepit ante oculum dextrum et in centro obiectorum, quae eodem oculo inſpiciebat, maculam nigram obſervare, et levem capitis dolorem ad tempus dextrum et ſuper orbitam eiusdem lateris ſentire. Haec ſenſim de die in diem augebantur adeo, ut poſt quindecim circiter dies eodem oculo literas in libris diſtinguere non poſſet, et lineas confuſe tantum videret. Ipſa tunc meum conſilium petebat; nihil in oculo praeternaturale invenire poteram; pupilla paulo maior erat quam in al-

 tero,

tero, contrahebatur tamen aliquantum ad lumen, et dilatabatur in loco obſcuro. Dum, clauſo oculo siniſtro, aliquem coram ipsa ſtantem inspiciebat, faciem illius nube circumfuſam videbat, cum macula nigra in medio. Tumores glandulosos in collo ipsam ferre iam ab anno obſervaveram, illique nunc mole aucti mihi videbantur; ad tactum tamen molles erant. Glandula thyroïdea dextra, tumens, quaſi appendice adeo protendebatur, ut super venam iugularem iaceret. Cauſam reperiſſe putans, hanc appendicem glandulosam, nucem iuglandem magnitudine aequantem, mollemque comprimebam, et ſtatim aegra obiectorum imagines eodem oculo conſpectas obſcuriores eſſe dicebat, illasque diſcernere non poterat. Vena in pede secta, et laxante eccoprotico dato, in consilium vocavi Clar. Anatomiae et morborum oculorum Profeſſorem Barth, cui ea communicabam, quae de cauſa morbi cogitabam, unicamque indicationem curativam eſſe, me iudice, profere-

ferebam: tumores nempe colli ſtrumoſos resolvere; ad quem scopum aliquot grana pulveris spongiae uſtae proponebam, quotidie ieiuno ventriculo sumenda; annuebat ille. Repetito semel laxante, pediluviis utebatur aegra, et omni mane pulverem sumebat ex granis quinque spongiae uſtae et eadem quantitate sacchari. Poſt aliquot dies tumores glandulosi molliores et minores erant, dolor capitis mitior, obscuritas in oculo dextro imminuta. Pergebat in usu eiusdem remedii per duas septimanas, interposito quandoque uno die, quo nihil sumebat, et ſtrumae minuebantur, visusque in oculo dextro redibat, sic ut litteras minores diſtinguere et integras paginas, oculo siniſtro clauso, legere posset: parva tamen adhuc macula remanebat in centro obiectorum maiorum quae inspiciebat. Timebam, ne diutius protracto usu spongiae uſtae syſtema nervosum, valde sensibile, nimis irritarem (*a*); ideoque suadebam, ut ab

(a) Aliquot casus vidi, ubi spongia usta in

eo abſtineret, et diaetam refrigerantem continuaret, sperans malum iam pro maxima parte debellatum, sponte plane cessurum; vel sic hoc non accideret, poſt aliquod tempus ipsam ad idem remedium recurrere posse. Visus integritas brevi rediit, capitis dolores non amplius conqueſta eſt, et ad hodiernum diem usque, elapsis iam quatuor annis, optime valet.

CAPUT III.

Tetanus Extremitatum inferiorum cum subsequente Paralysi.

Centurio 30. annos natus, die 6. Mai 1780. poſt meridiem se non bene habere, absque manifeſto quodam morbo incipit, nisi quod conſtipatione alvi consueta laboret. Altera die vir iſte athletico corpore donatus inter prandium, in quo pocula duo vini rubri hau-

sensibilibus et irritabilibus corporibus, diu usurpata tantam nervorum irritabilitatem et ataxiam induxit, quamquam non admodum magna sumeretur, ut aegri postea miserrimam vitam traherent.

hauserat, dolores in extremitatibus inferioribus patitur cum summa inquietudine, facies rubet, dein pallescit, et quasi in animi deliquium incidit. Sedere diu non poteſt, nec ſtare, doloresque se sentire ait mox acutos, mox obtusos, a lumbis usque ad digitos pedum. Accersitus suadeo ut aeger domum petat; cumque pulsus plenus satis esset, ut vena secetur, et dein ob alvi conſtipationem enema emolliens iniiciatur. Hora octava vespertina reperio aegrum, cui nec sanguis missus, et enema nondum iniectum fuerat, cum extremitatum inferiorum tetano vehementissimo, et dolore atrocissimo, ab osse sacro omnes musculos crurum, femorum, pedumque occupante. Omnes iſti musculi adeo tensi erant, ut ad tactum duritie sua lignum potius, quam carnem referrent, et ossa ipsa aeque facile frangi, ac articuli flecti, potuissent. Abdomen durum, tensumque erat, et tota regio hypogaſtrica ad tactum dolens, dolore ad os sacrum usque protento. Prae summo dolore nec

ſtare, nec iacere aeger poterat; tetanus per aliquot minuta remittebat, non cessantibus tamen omnino doloribus; dein iterum incipiebat, et per quadrantem horae perdurabat. Nullam in pulsu frequentiam, nec duritiem obſervabam; caput omnino sanum et liberum erat. Symptomatibus et circumſtantiis omnibus per horam cum dimidia attente observatis, ut causam et ortum morbi rimari possem, iudicavi causam aliquam irritantem circa originem nervorum sacroischiadicorum haerere, illamque fortasse adscribi debere obſtructionibus et tensioni vasorum haemorrhoidalium partiumque adiacentium a continua alvi conſtipatione ortis. Suspicio quoque vermium inteſtina irritantium mihi nata eſt, cum sciscitanti, an nunquam lumbricos per anum deposuisset, mihi asseveraret, quod unicum vermem teretem emisisset ante annum. Narrabat praeterea aeger, se initio huius anni, cum ex loco calidissimo in liberum aërem, frigidumque exiret, subito capitis dolore correptum ſuisse,

et

et quasi apoplecticum sine motu et sensu remansisse per aliquot horas, atque spatio trium dierum in perpetuo delirio phrenitico iacuisse, sic ut ligari debuerit, et ter venam secare coactus fuerit chirurgus, qui ipsius tunc curam gerebat; poſtea se quandoque dolores in extremitatibus inferioribus percipisse, propter quos balnea aquae tepidae saepe adhibuerat, et aliquoties ad alvum movendam aquam salinam purgantem, quam *luſtvvasser* vocant, sumpserat.

Cum vir iſte robuſtissimus esset, dolores spasmique vehementissimi, etsi veram plethoram non observarem, sanguinem mittere necessarium credebam: ob perpetuum tetanum nec hirudines ad anum admoveri, nec ex pede inſtitui venae sectio potuit; sed in brachio fieri debuit. Vix effluxis unciis tribus sanguinis, animi deliquium incipiens ulteriorem evacuationem impediebat. Tetanus pergebat ut ante, digitique manuum quandoque rigescebant, dum vehementissimus tetanus extremitates inferiores tenebat; maximis doloribus una

cum tetano parumper identidem remittentibus per minuta aliquot, dein redeuntibus, et viro fortissimo eiulatus exprimentibus.

Iussi ut omni trihorio enema emolliens oleosum iniiceretur: resiſtentia in parte interiori sphincteris ani reperiebatur. Emulsionem ex amygdalis, seminibus 4. frigidis maioribus et semine papaveris albi, cum syrupo de meconio, nocturno tempore sumendam praescripsi, suasique, ut summo mane in balneum aquae tepidae immitteretur aeger. Fomenta ex decocto specierum emollientium cum lacte assidue abdomini admota sunt.

Die altera reperiebam aegrum in eodem ſtatu; aliquoties e lecto se eiicere, variosque situs mutare tetanus et dolores enormes ipsum coëgerant; sed insultus non adeo frequentes fuerant ac heri, nec tam diu duraverant. Quatuor enemata iniecta fuerant, et sola enemata sine faecibus emissa. Pulsus naturalis erat, caput liberum; tota nocte nequidem per minutum dormiverat.

rat. In balneo tepido per horam sedebat, et dum ex eo exibat, vehementem insultum patiebatur. Suasi, ut cum enematibus, atque fomentis, reliquisque medicamentis pergeret, et omni trihorio uncias quinque circiter aquae salinae laxantis sumeret, usque dum alvus moveretur, et intercalari tempore omni tertia hora grana quatuor moschi deglutiret, vespereque balneum iterum intraret. Perilluſtris Archiater de Quarin in consilium vocatus eſt: remediis prioribus addidimus tantum mixturam paregoricam, ex aquae flor. papav. rhoead. unc. iv. laudani liquidi gutt. xv. et syrupi althaeae drach. ij. ad duo cochlearia noctu omni bihorio sumendam. Poſt meridiem tetanus et dolores extremitatum remiserunt, alvum liquidam bile tinctam aliquoties deposuit. Duo tantum cochlearia mixturae anodynae sumpsit hora x. nocturna, et cum ipsi nauseosa esset, illam amplius sumere recusavit. Nox inquieta fuit et insomnis, absque magnis tamen doloribus, et cum parvis tantum mu-

scu-

sculorum, femorum, et crurum contractionibus. Moschus, emulsio, enemata omni quarta hora repetita, et aqua salina, ut antea adhibebantur. Ad dolores in inteſtino recto perdurantes leniendos, suppositoria ex mero butyro cacao praescribebam. Excrementa pultacea, biliosa bis prodeunt, abdomen minus tumet et dolet; balneo mane utitur, ex quo surgens, tetano iterum afficitur aeger per aliquot minuta: vespere febricitat, caput ipsi dolet, sitis quoque adeſt, cum nausea; a morbi principio appetitus omnino deficit. Loco tunc tetani et dolorum, in extremitatibus inferioribus ſtuporem sentit. Balnei usum ipsi interdico. Noctu moschum, et emulsionem sumit ut praeteritis diebus, et enema bis iniicitur. Noctem quietiorem ducit, et aliquantum, interrupto somno, dormit. Sanguinis guttae aliquot e naribus ſtillant.

Die morbi quarta mane aegrum reperio tranquilliorem, febricitantem tamen, sed usu extremitatum inferiorum integre privatum. Omnes musculi

ha-

harum partium paralyſi adeo affecti ſunt, ut nullum ab oſſe ſacro ad apices digitorum pedis movere poſſit; et ſtupor ſimul omnium nervorum ad illas tendentium tantus eſt, ut femoribus et cruribus ſe orbatum eſſe ipſi videatur. Iſtam ſenſus abſentiam comparabat illi ſtupori et gravitati, quam homo diu ſuper vallum ſedens in cruribus et femoribus libere pendentibus percipit. Tantus fuerat praecedentibus diebus dolor, ut vir tringinta annos natus, miles gloriae et honorum cupidus, ſtatum ſuum praeſentem non aegre ferret, hilariſque eſſet.

Priora nunc remedia, praeter aquam laxantem *luftvvaſſer*, cuius aliquot vaſcula ſumebat, praeter enemata oleoſa, et ſuppoſitoria ex butyro cacao, omittuntur. Extremitates inferiores quater de die ſpiritu lavendulae cum caſtoreo inunguntur, manuque fricantur.

Excrementa pultacea bis depoſuit, ſat magna quantitate, et cum levamine; febricitat parumper; appetitus nullus,

lus, ſitis ingens: nox inquieta.

Die quinta, in eodem ſtatu ac heri; vix febricitat; urinae hypoſtaticae sunt. Alvus bis vel ter per aquam salinam movetur. Abdomen mollius eſt, vix dolens in regione hypogaſtrica.

Die sexta, quoad reliqua in eodem ſtatu, nisi quod tangendo femora, levem motum in musculis percipiam. Sumit medicamentum sequens.

℞. rad. recent. gramin. unc. ij.
---- ---- taraxac. unc. j. sem.

misce, sciss. coq. per $\frac{1}{4}$ horae in aquae communis q. s. colaturae, fortiter expressae, lib. j. adde

terrae foliatae tartari drach. j. sem.
sal. polychreſt. drach. iij.
syr. quinque rad. aperient. unc. sem.

misce, capiat omni bihorio vasculum. Excrementa biliosa, pultacea aliquoties deponit; abdomen mollius, minus dolens; febris adhuc mitior; sed appetitus fere nullus. Aliquot guttae sanguinis quotidie e naribus prodeunt.

Die morbi septima: nox quetior; pul-

pulsus fere naturalis; decoctum sumit ut heri; alvus libera et similis heſternae; appetitus parum melior, sitis non adeo urgens. In regione lumbari interne, et in inteſtino recto ante singulas sedes dolores sentit. Urinae, quae prius crudae erant, nunc coloratiores et magis coctae sunt, quandoque mane cum sedimento, plerumque cum enaeoremate. Incipit aeger pedum digitos aliquantulum movere; musculosque crurum, et femorum flacciditatem suam amittere observo, et iam voluntatis nutui parumper obedire.

Die octava: somnus, vires, appetitus magis naturales, febris nulla; motus musculorum femorum et crurum paulatim redit, ita ut nunc has partes elevare, et in lecto ab uno loco in alium lente movere possit. Medicamenta eadem. Emungendo nares aliquid sanguinis apparet. Die nona, ut heri, sed motus facilior, e lecto surgit, et suffultus servis aliquot passus progreditur. Medicamenta eadem, nisi quod serum lactis loco aquae in decocto adhibeatur.

Si alvus minus respondet, vasculum unum vel alterum aquae salinae laxantis (*luſtvvasser* (*a*)) simul sumit.

A die decima ad 14.^{am} (quae mensis Maii erat 19.na) vires et extremitatum inferiorum motum adeo recuperat aeger, ut in cubiculo ambulare possit solus, dieque 13.^{a} scalas, cum difficultate tamen, descendat, et ascendat ad secundam contignationem usque. Remedia ut heri.

Die 20.^{a} Maii, nempe 15.^{a} morbi, thermas Badenses petit; suadeo, ut primis diebus per horam, dein per duas horas in balneo thermali quotidie maneat: utque omni mane poſt balneum serum suum lactis cum decocto herbarum et salibus, ut antea, sumat.

Die 26.^{a} Maii, in urbem redux ad me venit, solus scalas ascendens; bene se habet; alvum liberam servat ope

(a) Ex aqua purissima, in qua sal sedlitzense, et sal mirabile Glauberi soluta sunt. Pragae vulgo praeparatur.

ope seri lactis medicati. Eodem die thermas Badenses iterum petit.

Quinta Iunii, aegrum meum Viennam reducem et optime valentem reperio; sola remanet in extremitatibus inferioribus vix sensibilis debilitas, quae poſt aliquot dies sponte evanescit. Adſtrictioni alvi cum obnoxius sit, suadeo ut per aliquod tempus adhuc in usu seri lactis medicati pergat.

Medio Iunio: bene valet, at dolores pungentes in recto sentit, praesertim dum alvum deponit; ſtillantque nonnunquam ex naribus aliquot sanguinis guttae; dolet subinde caput, et facies ruberrima eſt, atque semel mane animi deliquium passus eſt.

His consideratis, applicationem hirudinum ano, et per has sanguinis extractionem ad uncias x. iubeo; poſteaque usum seri lactis medicati adhuc continuandum, prout alvi conſtipatio requiret.

Exeunte Iunio optime se habet, et medicamentis omnibus valedicit, excepto sero lactis, pro necessitate ad

 al-

alvum ſolvendam uſurpando. Haemorrhagia narium frequens nunc occurrit. Appetitus optimus eſt, a vino et omnibus potibus fermentatis abſtinere ipſum iubeo, et veſperi emulſionem ex amygdalis cum ſeminibus frigidis bibendam praeſcribo.

Per duos annos hunc virum adhuc identidem vidi bene valentem, niſi quod a conſtipatione alvi, moliminibusque haemorrhoïdalibus incommoda quaedam pateretur: longiſſimum iter nunc ſuſcepit.

CAPUT IV.

Angina Paralytica.

Quando quacunque de cauſa nervi motores muſculorum deglutitioni inſervientium impediuntur agere, turbatur una vel plures ex actionibus, quae ad hanc functionem requiruntur, ſicque fit

ſit angina paralytica vocanda, quia eius cauſa paralyſis unius vel plurium musculorum, deglutitioni ſervientium, eſt (*a*).

„ Sic vidit Tulpius, (refert van
„ Swieten (*b*),) in muliere quinqua-
„ genaria, poſt vomitum, vertiginem,
„ ac ſpasmum cynicum, tam pertina-
„ citer reſolutos fuiſſe deglutitionis mu-
„ ſculos, ut ne guttulam quidem trans-
„ mittere poſſet, licet nec dolor, nec
„ tumor, nec ulla ipſam urgeret an-
„ guſtia; unde etiam ſeptima die periit.
„ Huic affine malum ſatis mirabile vi-
„ di in muliere quadraginta quinque an-
„ norum, caeteroquin ſaniſſima. Dum
„ enim ante novem menſes optimo va-
„ lens appetitu prandium ſumeret, mi-
„ rabatur, quod abſque ulla cauſa
„ praegreſſa ſubito impediretur deglu-
„ titio: nullum tamen dolorem ſentie-

 „ bat,

(*a*) Conf. van Swieten commentar. in aphoriſmos Boerhaavii ad §. 818. tom. II. pag. 701.

(*b*) Ibid. pag. 702.

„ bat, nullus tumor apparebat. Medi-
„ ci et chirurgi in consilium vocati ten-
„ taverant plura remedia, neque ta-
„ men integre potuerant debellare mor-
„ bum: manserat enim tale deglutitio-
„ nis impedimentum, ut liquida nullo
„ modo, solidas vero offas, imprimis
„ maiores, transmittere in ventriculum
„ posset. Sensim tamen eo usque in
„ melius mutabatur morbus, ut, dum
„ me consuleret, novem iam elapsis
„ mensibus a primo morbi initio, li-
„ quida potuerit quandoque deglutire,
„ si uncias quinque vel sex simul et
„ semel ingereret quam subitissime.
„ Parvam vero liquidi quantitatem nul-
„ lo modo deglutire valebat. „ Van Swieten addit se ignorare qualis morbi exitus fuerit.

Hiſtoria, quam mox referam, non solum novum anginae paralyticae exemplum continet; sed causam quoque patefacit, quae hoc malum fortasse aliquando induxit, quin tunc detegeretur, et adhuc in poſterum producere posset.

Mala,

Mala, quae a plumbo et eius praeparatis intus sumptis oriuntur, nimis nota sunt, ut, ad deterrendum homines ab illorum usu interno, opus adhuc sit colicae pictonum, paralysisque extremitatum superiorum ab hac causa oriundarum, casus adferre. At, cum applicatio externa sacchari saturni, aceti lithargyrii, et extracti vegetomineralis Goulardi, ubique frequentissima sit, ac bonos quandoque effectus in morbis quibusdam externis praeſtet; nonnulli incauti haec plumbi praeparata in gargarismatibus ad varios gutturis morbos curandos adhibent, nihil mali inde metuentes, dummodo monuerint ea deglutiri non debere.

Hanc ob causam aliquid haud inutile me praeſtiturum iudicavi, si reliquis meis observationibus hiſtoriam adnecterem pertinacissimae et admodum moleſtae affectionis, qua infelix et optimus vir triginta et unum annos natus iamdiu laborat, nulli alii causae, quam gargarismatibus cum extracto saturni, quibus saepe usus erat, adscribenda.

Sic ipse aeger morbum suum descripsit.

Vir, annos natus 31., temperamenti sanguineo-cholerici, iam a 21. Decembris anni 1781., adeoque per menses 20. laborat difficili deglutitione, ita quidem, ut potulenta poſt multos conatus, velut fervidum potum theae, sorbillando deglutire, atque ciborum, prius probe maſticatorum bolos, non nisi lente in oesophagum protrudere possit. Vinum, quo alioquin nunquam delectabatur, deglutire plane nequit, uti nec cerevisiam, nec potus quoscunque acidos, aut calefacientes, aut adſtringentes. Caeterum respiratio libera, neque in aliis functionibus vitalibus, neque in animalibus vitium ullum deprehenditur. In faucibus omnia esse in ſtatu naturali affirmarunt et Medici et Chirurgi, qui hasce partes inspexerunt; uvula quidem in sui extremitate nonnihil ad siniſtram veli palatini partem flexa eſt; id tamen vitium aut conatum eſt, aut solis acrioribus gargarismatibus ex nitro, alumine, aceto, spiritu salis, &c.

&c. paratis ſorte adscribendum, ut adeo ad morbi ſtatum nequaquam pertinere videatur. Dolores in faucibus nullos unquam passus eſt, si eos demas, qui a medicamentorum applicatione oriebantur. Saliva autem semper, et praesertim quando illud pauxillum aquae sorbillat aeger, crassa glutinosaque exscreatur, matutino tempore etiam tenacior et subfusca. Subinde poſt diuturniores, quibus miser se torquet, sorbitiones intumescunt papillae linguales, et quasi in vesiculas elevantur, brevi tamen iterum disparentes. Atque haec sunt, de quibus aeger conqueritur.

Causam impeditae deglutitionis assignare aeger nequit; putat tamen se observasse, contractionem faucium, sub ipsa deglutitione, non eadem celeritate fieri ac in ſtatu sano, ut adeo necesse ipsi sit singulis sorbitionibus minimam tantum potulentorum praesertim quantitatem ingerere, atque eodem tempore os apertum servare, ne quid in asperam arteriam illabatur.

An lenta haec faucium contractio proveniat a saliva illa glutinosa, fauces semper obsidente? An ab humoribus in glandulis salivalibus inspissatis? An quod vel musculi deglutitioni deſtinati forte paralytici sunt, vel annuli laryngis superiores ossei facti, vel tumor inter thyroideam et cricoidcam cartilaginem enatus? Et ipse aeger et Medici ad curandum vocati ignorant omnes: aeger tamen, aliis aliter opinantibus, credit causam eius mali probabilius haerere in musculis elevatoribus laryngis, forte paralyticis factis. Quod sequente narratione oſtendere nititur: quippe malum quemadmodum nunc eſt, ita quoque fuisse 21. Decembris anni 1781. sub coena. Tum adhuc in prandio se libere epotasse poculum aquae, excepta pauca portione, in fundo remanente. At iam in autumno eiusdem anni saepius sibi accidisse, ut, dum illam in fundo vasculi residuam, vini praecipue, portionem ebibere vellet, mox illapsa in arteriam asperam gutta tussim cum suffoca-

focationis metu (*verzucken*) excitaret. Quinimo ſe recordari, idipſum annis 1777-78-79-80. ſubinde ſibi contigiſſe, quod quidem tunc nihili fecerit. Anginam videlicet aliquoties per annum paſſus erat, quam deinde accerſitus Chirurgus aqua Goulardi ſeu extracto ſaturni ad gargarizandum exhibito depellere ſolebat. Poſt ſingulas eiusmodi curationes aſpera arteria frequentius inter bibendum irritabatur (*verzucken*). En argumenta, quae aegrum inducunt, ut credat, cauſam mali haerere in muſculis faucium paralyticis.

A vigeſima prima Decembris anni 1781. malum eodem ſemper paſſu decurrit; nec niſi tunc parumper augetur, quando aeger atmoſphaeram calidam repente cum frigida mutat, aut animi affectibus, quibus utinam minus obnoxius eſſet! vehementioribus exagitatur.

Principio, timore adactus, remedia tam a Medicis quam Chirurgis propoſita quaecunque amplexus eſt. Vena ſecta fuit bis intra octiduum;

data

data sunt medicamenta alvum leniter ducentia; dorso sarcocolla, collo vero alia gummi ſerulacea erant applicata, quae omnia profuerunt nihil. Cortex igitur Peruvianus cum sale succini interne datus, et infusum arnicae potatum, pro gargarismate extractum corticis peruviani adhibitum, sed absque ullo effectu. Poſtea mere saponacea, tam pro usu interno, quam etiam pro cataplasmatibus et ad gargarisandum praescripta, sed fruſtra. Qua propter vesicantia inter scapulas et sub mento applicata, quae cruciatus enormes loco levaminis attulerunt. Aquas amaras sedlicenses alius Medicus propinavit; his libere hauſtis corpus aegri penitus enervatum fuit absque eo, ut malum vel minimum remitteret. Toto curationis tempore iam emollientia, iam adſtringentia, tum pro gargarismatibus, tum pro iniectionibus, tum denique pro externis inunctionibus, adhibebantur. Varia alia proposita fuerunt; sed tandem medicamenta omnia abiecit aeger,

ratus

ratus praeſtare nullo, quam incerto uti rimedio.

Inde a menſe Maio anni praeterlapsi ille ab omni medicamenro abſtinet; morbus eodem ſemper tenore decurrit, ſi exacerbationes excipias, quae ex animi triſtitia ſubinde contingere ſolent.

In reſponſo ad aegrum dato paralyſin muſculorum ad laryngem et pharyngem atque epiglotidem pertinentium, difficilis eius deglutitionis cauſam pronunciavi; ipſamque gargariſmatibus cum extracto Saturni, vel aqua Goulardi, quae ſaepe adhibuit, tribui debere. Ut enim plumbum intus ſumptum inteſtinis, et per conſenſum extremitatibus ſuperioribus, paralyſin inducit; ſic eoſdem in gutture effectus producere poteſt, quando nervis, ibi quoque, ut in canali inteſtinali fere nudis, applicatur.

Paralyſis brachiorum colicae Pictonum ſuperveniens electricitate ſanatur: credebam itaque idem remedium in hoc caſu convenire; aegroque

que suasi, ut machinae electricae, quotidie admovendae, virtutem experiretur, quo musculi gutturis totiusque colli levi tantum conductoris electricitati attactu irritarentur, iuxta methodum a Cavallo descriptam. Cum procul ab hac urbe aeger commoretur, quid huc usque factum sit, ignoro.

Finis.

INDEX CAPITUM.

PARS I.

Morbi Epidemici.

Caput I. *Febris catarrhalis epidemica anno* 1762. *Viennae obſervata*. . . . . . . pag. 9.
Caput II. *Dyſenteria anno* 1763. *Viennae graſſans*. . . . . . 14.
Caput III. *Conſtitutio epidemica annorum* 1774-83. . . . . . 22.
Caput IV. *Febris catarrhalis vere anni* 1782. *epidemice graſſans, morbus Ruſſicus*, la Grippe, influenza *vocatus*. . . . . . . 35.
Caput V. *Febris arthritica hiemis anni* 1782-83. . . . . . . 50.

PARS II.

De Variolis naturalibus et inſititiis.

Caput I. *Variolarum brevis hiſtoria*. . . . . 55.

Ca-

Caput II. *Variolarum inoculatio.* 61.
Caput III. *Nova et optima methodus Variolas naturales curandi.* 71.

PARS III.

De Lue venerea et Scorbuto.

Caput I. *Lues venerea* . . . . 77.
Caput II. *De Scorbuto* . . . . 112.

PARS IV.

Caput I. *Hemiplegia electricitate sanata* . . . . 128.
Caput II. *Incipiens amaurosis oculi dextri a tumore glanduloso in collo* . . . . 131.
Caput III. *Tetanus extremitatum inferiorum cum subsequente Paralysi* . . . . 134.
Caput IV. *Angina paralitica.* 146.

Caput II. Variationes [illegible]
Caput III. [illegible]
[illegible]

PARS III.

De [illegible] et Sepultura.
Caput I. [illegible]
Caput II. De Sepultura . . . [illegible]

PARS IV.

Caput I. [illegible]
[illegible] . . . [illegible]
Caput II. [illegible]
[illegible]
[illegible]
Caput III. [illegible]
[illegible]
[illegible] . . . [illegible]
Caput IV. [illegible]